COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS XV. PARS II.

LIPSIAE MDCCLXIX.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH
Venduntur etiam
Amstelodami apud I. Schreuder, et Petr. Mortier, Londini apud Io. Nourse, Parisiis apud Briasson, Patauii apud I. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.

I.

Hiſtoire de la Société Royale des Sciences établie à Montpellier, avec les memoires de mathematique & de phyſique tirées des regiſtres de cette Société. Tome premier, à Lyon chez Benoit Duplain 1766. 4. 3 Alph. 18 ½ pl. tab. aen. 10.

i. e.

Hiſtoria Societatis Regiae Scientiarum Monspelienſis cum commentariis mathematicis et phyſicis, ex indicibus actorum huius ſocietatis extractis. Vol. I.

HAbet Monſpelium ob climatis amoenitatem, aërisque puritatem ac ſerenitatem, porro ob plantarum elegantiſſimarum, in iſtius confiniis obuiarum, copiam, maris vicinitatem, litterarum denique vniuerſitatis, quae ibi floret, celeberrimae famam, atque exterorum pariter, ac ipſius Galliae doctiſſimorum hominum confluxum, quo praecipui permultum prae aliis Galliae oppidis, numero incolarum et amplitudine ipſam longe ſuperantibus, iure ſibi meritoque tri-

buendum poſtulet. Quae quidem vrbis bona, maxime opportunam quoque eandem ad commorandum reddunt iis, qui naturalium perſcrutandarum rerum ſtudio ducuntur, iſtique maxime ſtudii generi vacare cupiunt. Id ipſum igitur cum a pluribus in iſta vrbe factum eſſet, egregie de eadem meritus eſt, magnus ille litterarum protector atque promotor LUDOVICUS XIV, cum Societatis litterariae, cui ab hac vrbe nomen eſt, cuiusque acta lectoribus hic proponenda duximus, fundator exſtiterit. Ille enim quum comperiſſet, inde ab aliquot annis fuiſſe in hac vrbe, numerum quendam doctorum virorum, qui obſeruationibus aſtronomicis rerumque naturalium examini incumberent, anno huius ſaeculi ſexto, in commune ſcientiarum commodum, ex priuata ſocietate publicam fecit, quam non tantum Regiae Societatis titulo ornatam vellet, ipſumque eius ſe protectorem declararet; verum etiam quodammodo cum Academia Regia Pariſina coniunctam eſſe iuberet. Fuit ab iſto tempore ea huius Societatis ratio, vt peculiarem Regio iuſſu haberet ſecretarium, ſodalesque, praeter certum aliquem numerum eorum, qui honoris tantum cauſſa in eandem eſſent recepti, quindecim, in quinque claſſes diſtributos, additis totidem adiunctis. Primi a rege LUDOVICO, dicto anno ſodales conſtituti ſunt: in claſſe mathematica Cl. DE CLAPIÉS, PLANTADE, LACAN; in claſſe anatomica Cl. ASTRUC, LA PEYRONIE, GOUDANGE; in claſſe chemica Cl. RIVIERE, MATTE, GOUDERON; in claſſe botanica Cl. CHICOYNEAU, MAGNOLE et NISSOLE; atque in claſſe phyſices vniuerſalis: Cl. CHIRAC, RIDEUX et ICHER, quorum nomina huc tranſcripſimus, vt pateret lectoribus, quanti viri etiam iam tum in ea Societate fuerint. At enim vero ne miretur aliquis, primam hanc actorum huius

ius Societatis collectionem post sexaginta annos, quibus iam floruit ista, tam sero prodire in publicum; causas eius rei commemorarunt editores has: Primum, quod plura sodalium ipsius scripta, passim inter scripta Academiae Regiae Scientiarum Parisinae, cui amico aliquo, nexu Monspeliensem Societatem iunctam esse commemorauimus, edita sint. Deinde vero etiam fatentur accidisse, vt per plures annos languore aliquo suppressa iaceret Societas ista, quem tamen feliciter nunc superatum videat. Ceperunt enim nunc sodales huius Societatis consilium, edendi ex thesauro actorum suorum ea scripta, quae maxime eruditorum attentione digna visa sunt. Haec igitur, quam nunc indicamus, prima pars, continet primum historiam Societatis ab anno 1706 vsque ad annum 1717, enarratam eodem modo, quo Parisinae Academiae historia conscripta est, vt scilicet epitome quoque commentariorum Societati hac periodo communicatorum, illi inserta sit, addita narratione de fundatione huius Societatis eiusque institutis, interpositisque mandatis Regiis, ad eam rem emissis. Excipit vero illam commentariorum ipsorum collectio, qua ii, qui ab anno 1706 ad annum vsque 1730 traditi fuerunt, comprehenduntur. Omissi tamen sunt ii omnes, qui res nunc multo melius explicatas, nec amplius nouitate sua commentabiles continent.

Ex ipsa vero historia huius Academiae, cuius Auctor Cl. DE RATTE, Secretarius Societatis perpetuus, est, sequentia potissimum attentionem nostram merentur.

Obseruatio de corallio, qua summa eorum, quaep. 65.
de modo crescendi et origine coralliorum Ill. Comes MARSIGLI in historia maris publicauit, traditur. Monet tamen quoque hac occasione historiae huius

Auctor, medicum quendam Rupellenſem, cui nomen VENETTE erat, in Commentario aliquo *de petrefactorum origine* iam ante MARSIGLIVM corallii flores, florumque horum tubulos depinxiſſe, et Cl. BON iam hoc ipſo tempore, quo MARSIGLIUI obſeruationes de floribus his inſtituerat, ſuſpicatum eſſe, non flores eſſe, ſed animalcula: nulla tamen ratione ſibi perſuaderi potuiſſe, animalcula haec fabricatores coralliorum eſſe, ſed potius illa tanquam extranea et paraſitica conſideraſſe.

p. 91. Cum nonnulli adhuc dubitarent, vtrum omnis vrina per renes ſecerneretur, et ex iis ad veſicam tranſiret, an aliqua huius liquoris pars, ex ventriculo ſtatim ad veſicam perueniret; Cl. ASTRUC pluribus experimentis, in canibus inſtitutis, demonſtrauit, nullum ductum ex ventriculo ad veſicam patere, ſed vrinam omnem ex ſanguine ad renes delato praeparari, ſimulque variis argumentis oſtendit, citiſſimum aquarum mineralium ad veſicam tranſitum, veritatem huius aſſerti minime dubiam reddere poſſe.

p. 99. Cl. MARCOT vulgarem opinionem, qua imaginatio matris, vt monſtrorum et naeuorum cauſſa,

p. 101. conſideratur, reiicit. Cl. GODANGE gallinam cultro anatomico ſubiecit, quae ouum ſine vitello pepererat, cum vitellus ipſe, aliquot horas ante oui partum omni inuolucro deſtitutus, excluſus fuiſſet. Nullam tamen praeternaturalem in ea conformationem inuenit, qualem, ſimilis phaenomeni cauſſam fuiſſe, Cl. PEYRONIE in alia gallina obſeruauerat*), ita vt omnino Cl. Auctor perſuaſum ſibi habeat, ab incognita cauſſa vitellum ex albumine oui, nondum teſta ſua muniti, expreſſum, in hac gallina fuiſſe.

Monſtrum

*) Vid. infra commentarios ipſos p. 393.

Monſtrum aliquod Cl. POUJOUL deſcribit, p. 103.
quod cerebro, corde, pulmonibus, diaphragmate, hepate et ventriculo plane deſtitutum erat, et tamen magnitudinem foetus perfecti habebat, ſimulque iuſto grauiditatis termino, cum alio foetu viuo beneque conformato, in lucem prodierat. Aderat ren dexter, ſolito maior, et vena caua, nullum tamen aortae veſtigium reperiebatur. Alias monſtrorum hiſtorias, variasque obſeruationes, v. c de verme cum lotio expulſo, et calculo veſicae per abſceſſum, in perinaeo natum, excreto, omittimus.

Cl. RIVIERE mirandum aliquem fontem, qui p. 124.
Boulidou de Perols dicitur, deſcribit. Non proprie fons, ſed minor aliquis aquae fluuialis collectio (*baſſin*) eſt, quae frigida quidem eſt, ſed perpetuo motu aliquo, bullientis aquae motui ſimili, agitatur. Cauſſam huius phaenomeni Cl. Auctor ponit in ventis ſubterraneis, docetque, externe hanc aquam balnei loco cum fructu a multis adhiberi. Aquam tamen hanc non puram eſſe, ſed varias particulas efficacioris indolis continere, ex chemico eius examine p. 129.
patet, quod idem Cl. RIVIERE ſuſcepit, qui etiam alias aquas minerales *Languedociae*, quae ad *S. Méjan*, *Gabian* et *Rouian* reperiuntur, examinauit.

Noxii effectus *cicutae minoris*, *petroſelini folio* p. 170.
ſ. *aethuſae cynapii* LINNAEI obſeruatione confirmantur. Aduerſus podagram decoctum ex *poly-* p. 175.
podio querc.no, *hermodactylis* et radicibus *chinae* et *ſarſaparillae*, multum laudatur. Narratur quoque, radicem *cal.itrapae* in nephritide vtilem fuiſſe, et *globulariam alypum* purgantem ſennae virtutem habere, et quidem adhuc maiorem, ita, vt dimidia globulariae doſis ſufficiat.

Omiſſis elogiis, quibus quatuor ſocietatis ſoda p. 281.
les, hac periodo demortui, Cl. ſcilicet RICOME, ICHER, MAGNOL et LACAN condecorati ſunt, iam

p. 1. ad ipſos commentarios huius Societatis accedimus, inter quos primum locum obtinet, *obſer-*
p. 16. *uatio eclipſeos ſolis, Monſpelii* d. 12 Maii 1706 a Cl. PLANTADE et DE CLAPIÉS *facta*, quam excipit *obſeruatio eclipſeos lunae*, d. 28 Aprilis 1706 *Monſpelii* a Cl. PLANTADE inſtituta.

p. 20. Sequitur *analyſis chemica lithophyti*, Auctore Cl. MATTE *). MARSIGLIUS et TOURNEFORTIUS ex odore lithophyti, carbonibus iniecti, ſimili cornu combuſti, coniecturam fecerunt, ſal volatile alcalinum lithophytis ineſſe, quare plura Cl. MATTE experimenta circa hanc rem inſtituit, atque ex vnciis duodecim lithophyti, obtinuit ſalis volatilis, drachmas 5 ½, olei drachmas 11, et ſpiritus, 13, cum ſimilis quantitas cornu cerui, drachmas tantum 4 et grana 24 ſalis volatilis, contineret. Odor ſalis, ex lithophytis praeparati, valde vrinoſus et penetrans eſt, ſed ſimul quoque ſulphureus quaſi et empyreumaticus, eique ſimilis, quem in omnibus corporibus marinis deprehendimus, (*odeur de marée*).

p. 23. *Problema opticum, in quo examinatur, vtrum viſio fiat ſuper retina, an vero ſuper choroidea, conſequentiis inde ad ſenſationes in vniuerſum deductis.* Auctore Cl. GAUTERON **). Retinam principale eſſe viſionis organum, vnanimi philoſophorum conſenſu receptum erat, donec Cl. MARIOTTE tunicae choroideae eas partes vindicare conatus eſt, veterem opinionem experientiae ac ipſi retinae ſtructurae contrariam eſſe, autumans. Clauſo enim altero oculo, alteri res exiguas et ad nouem vel decem pedes diſſitas, ſi ad illas dirigitur, ita euaneſcere deprehendebat, vt aliae, ad easdem partes ſitae, et a quibus

*) Lecta d. 2 Sept. 1706.
**) Lecta d. 23 Dec. 1706.

bus radii obliquius in illum incidunt, fierent conſpicuae. Quae experientia, multoties eodem euentu inſtituta, eum docuit, obiecta ab oculo non videri, ſi ab iis radii ea lege incidant, vt in extremitatibus nerui optici coëant, quae, cum choroidea tunica non ſint veſtitae, inde aeque ac ex pelluciditate retinae, per quam radii ſine vlla, in eam actione, tranſeunt, Cl. MARIOTTE concludebat: organum viſus immediatum, neque neruum opticum, neque retinam eſſe poſſe, ſed potius viſionem effici per choroideam tunicam, quae, exceptis iis locis, vbi neruus opticus bulbo oculi inſeritur, per totum oculi fundum expanſa eſt. Recentem hanc ſententiam PECQUETUS et PERRAULT viri Cl. impugnarunt, veteremque defenderunt. Cl. vero DE LA HIRE cum ſatis perſpectum haberet, a neruis deriuandam eſſe omnem ſenſationem, ac ratio explicandi indubitatas MARIOTTE experientias, alia ipſi non pateret, quam vocata in ſubſidium tunica choroidea; vtramque ſententiam coniungendam eſſe arbitrabatur, docens, viſionem fieri in retina, choroideam vero modificari ac reflectere radios, qui in retinam incidunt. Controuerſia haec eo tempore, quo Cl. Auctor illam examinandam ſumpſit, non plane noua erat, ſed diu iam, magnis animorum motibus, inter phyſicos agitata: attamen operae pretium duxit, eam diligentius ac omni partium ſtudio conſiderare. Eo conſilio primum, ingenioſa methodo repetitis Cl. MARIOTTE experientiis, perſpiciens, eas plane in dubium vocari non poſſe, certo ex iis intelligebat, extremitates nerui optici ita eſſe comparatas, vt in iis viſio perfici nequeat. Choroideam vero conſiderans cognoſcebat, eam compactiorem eſſe, quam vt tenerrimi lucis radii, inprimis ii, qui poſt tot reflexiones in crepuſculis oculum ingrediuntur, in ea vibrationes ad ſenſatio-

nem neceſſarias excitare poſſent: choroideamque praeterea eſſe piae matris continuationem, quae ad recipiendas, rerum externarum impreſſiones, plane non eſt deſtinata, ac proinde nullam tunicam in oculo praeter retinam relinqui, per quam viſio perficiatur. Refutatis deinde iis, quae PECQUET et PERRAULT viri Cl. contra MARIOTTE protulerunt, argumentis, rationibus ſupra memoratis, ſequentes addit. Primo, retinam oriri ex expanſione nerui optici, omnem vero ſenſationem a neruis deriuandam eſſe. Secundo, negari quidem non poſſe, retinam pellucidam eſſe, ſed pellucida corpora, quamuis tranſire patiantur bene multos radios, bene multos tamen etiam reflectere. Reflexos vero radios neceſſario in retinam agere et eam commouere. Et quis attentiore mente pelluciditatem eius et reticulatam fabricam conſiderans, non admiretur ſapientiam ſummam auctoris naturae, qui eam talem condidit, vt oculus blande afficeretur. Atque hoc tertio luculentius cuiuis patet, qui conſiderat, ipſas ſenſationum corporum viuentium conditiones ac fines, quae requirunt organa, quae et a tenerioribus corporibus commoueri poſſint, nec a fortioribus moleſte concutiantur, ac laedantur, quemadmodum id in guſtu, auditu ac odoratu, luce clarius eſt. Eiusmodi ſola in oculo retina conditionibus eſt praedita. Cum ſit tenuiſſima ac reticulata, ex expanſione medullae nerui optici orta, membrana, tenuiſſimi eam commouent radii. Ex fortioribus vero ac denſioribus, tantum eorum ab ea reflectitur, quantum ad lenem, blandum motum excitandum, atque producendam non moleſtam ſenſationem, opus eſt. Cum vero extremitates nerui optici iis conditionibus careant, ecquis mirabitur, oculum eorum ope cernere non poſſe. Ratio itaque ex his petenda eſt phaenomeni, a Cl. MARIOTTE obſeruati, vt

ad

ad illud explicandum, neque hypotheſi Cl. DE LA HIRE, ac multo minus Pecquetiana et Perraultiana opus ſit.

Obſeruatio eclipſeos lunae, Monſpelii d. 21. Octobr. 1706 *facta,* a Cl. DE PLANTADE. p. 36.

Occultatio ſtellae informis, a BEYERO *littera* γ *notatae, obſeruata Monſpelii* d. 15 Septembr. 1706 a Cl. DE ROCHEMORE. p. 41.

Obſeruatio de excreſcentia vteri, auctore Cl. DE LA PEYRONIE *). Deſcribit polypum, qui baſi ſua, dextro lateri, ſuperficiei vteri internae, adhaerens, et extra orificium illius prominens, partus difficilioris cauſſa fuerat. Hunc die decimo quinto a partu ita exſtirpauit, vt eum, quantum quidem fieri poterat, protraheret, et deinde forficibus ſepararet, magno primum vulneri, ipſius vteri ſubſtantiae inflicto, quo melius baſin polypi attingere poſſet. Haemorrhagiam cauterio actuali compeſcere tentauit, ſed, cum minus bene ſanguinis effluxus ferramentis ignitis ſiſteretur, peſſum ex adſtringentibus adhibuit, demumque plenariam cicatriſationem, die viceſimo poſt operationem, obtinuit. Cuius quidem operationis vlteriorem ſucceſſum vt notaſſet Auctor Cl., vehementer optaremus. p. 42.

Obſeruatio de vltima phalange pollicis et tendine flexoris parteque huius muſculi auulſis, auctore EODEM **). Cultrario cuidam rota molae acuminariae pollicis phalangem primam ita auulſit, vt ſimul tendo flexoris pollicis et pars muſculi ipſius ex vagina ſua protraherentur et diſrumperentur. Cl. DE LA PEYRO- p. 45.

*) Lecta d. 4 Maii 1707.
**) Lecta d. 28 Iulii 1707.

PEYRONIE in auxilium aegri vocatus, ſanguinem ex vagina expreſſit, atque breui tempore praeterlapſo, vulnus perfecte ſanauit, in qua curatione potiſſimum cognouit, magnam olei terebinthinae virtutem eſſe in carnis geneſi, iis in locis, vbi oſſa denudata ſunt, promouenda.

P. 48. *Commentarius de petrefactis Boutonnetenſibus* auctore Cl. ASTRUC *). Corpora marina petrefacta, quae *Boutonneti* prope *Monſpelium* inueniuntur, et potiſſimum ad nucleos ſic dictos conchyolithorum pertinent, quorumque archetypos omnes mare vicinum continet, Cl. ASTRUC occaſionem dederunt, in vniuerſum originem illorum petrefactorum inquirendi. Docet vero hoc commentario, magnam Languedociae partem, et inprimis territorium Monſpelienſe mari olim tectum fuiſſe, idque non ſolum variis auctorum veterum teſtimoniis, ſed et obſeruationibus probat, ex quibus patet, mare in littore Languedociae continuo decreſcere.

P. 75. *Commentarius de dentibus petrefactis variorum piſcium, quo ſimul ii cum dentibus recentibus eiusdem generis comparantur* **) auctore Cl. RIVIERE. Gloſſopetras vulgo ſic dictas, non ſolum chemice examinauit, ſed et in dentium, qui huius petrefacti archetypos ſiſtunt, naturam partesque conſtitutiuas eodem modo inquiſiuit, atque cognouit, gloſſopetras ſal aliquod volatile alcalinum continere, ei ſimile, quod ex dentibus piſcium recentibus obtinetur. Longe vero minore copia gloſſopetris, quam recentibus dentibus ineſt. Continetur enim ſolum in externo gloſſopetrarum cortice, qui animalem

*) Lectus d. 17. Dec. 1707.
**) Lectus d. 17. Nov. 1708.

malem adhuc naturam retinet, cum interior ſubſtantia petrificata hoc ſale plane deſtituatur.

Obſeruationes thermometricae et barometricae Monſpelii ab anno 1705 *ad annum* 1709 a Cl. BON *factae.* Societas Monſpelienſis exemplum academiae regiae Pariſinae, cuius ſocius Cl. DE LA HIRE meteorologicas obſeruationes ab anno 1688 ad 1705 vſque inſtituerat, imitatura, et in ea vir Cl. BON ex thermometro Amontoniano ac barometro recuruo 30 pollices et 8 lineas longo, locis congruis locatis, quauis die horisque ad hoc negotium conuenientiſſimis, eiusmodi obſeruationes excerpens, tabulas pro ſingulis annis exhibuit, gradusque ſummi caloris Monſpelienſis cum iisdem gradibus caloris Pariſini contulit. Maxime memorabilis eſt index frigoris funeſtae hyemis anni 1709. Anno 1705 d. 30 Iulii hora tertia pomeridiana thermometrum Amontonianum indicauit, aërem, calorem aquae bullientis habere, cum liquor, in eo contentus, ad 73 pollices adſcenderet. p. 85.

Obſeruatio eclipſeos ſolis, Monſpelii d. 11 Martii 1709 *facta*, a Cl. DE PLANTADE et DE CLAPIÉS. p. 98.

Commentarii de variis apparitionibus lunae, eclipſi obſcuratae, auctore Cl. DE CLAPIÉS. p. 102.

Diſſertatio de vſu ſerici aranearum, auctore Cl. BON *). Duplicis generis ſericum araneae largiuntur, primum illud, quo telas ſuas ad capienda alia inſecta nectunt, et deinde illud, ex quo inuolucra, quibus oua ſua includunt, conſtat. Poſteriorem inprimis ſpeciem, quae griſeum colorem in initio habet, ſed poſt aliquod tempus nigreſcit, Cl. BON atten- p. 123.

*) Lecta d. 5 Dec. 1705.

attentione ſua dignam iudicauit. Collectis hinc
p. 132. tredecim huius ſerici vnciis, methodo fuſius hic deſcripta, quatuor vncias ſerici puri ex iis obtinuit, atque ex his tibialia et chirothecas fieri curauit, ita vt omnino perſuaſum ſibi habeat, ſericum aranearum, loco ſerici, quod bombyces parant, adhiberi poſſe, imo ei praeferendum eſſe, cum longe leuius ſit ſerico bombycino, et v. c. tibialia, ad quae 7 vel 8 vnciae ſerici vulgaris requiruntur, ex $2\frac{1}{4}$ vnciis ſerici aranearum parari poſſint. Ad obiectionem vero, quam contra hunc aranearum vſum proferre quis poſſet, ſcilicet, tantam copiam ouorum aranearum nunquam colligi poſſe, quanta ad vſum oeconomicum opus ſit, ita reſpondet, vt doceat, inſignem aranearum foecunditatem eſſe, et facillimo ſtudio, ſatis magnam eorundem ouorum copiam obtineri poſſe *).

p. 137. *Analyſis chemica ſerici aranearum, cum methodo praeparandi medicamentum ex eo*, Gouttes de Montpellier *dictum, vſuque huius remedii in variis morbis*, auctore Cl. BON. Idem Cl. BON, qui primum de ſerico aranearum, ad vſum oeconomicum adhibendo, cogitauit, quo magis adhuc praeſtantiam illius ſerici extolleret, conterraneosque ſuos ad eius culturam exhortaret, docuit magnam copiam ſalis volatilis ex eo

*) Quam parum tribuendum ſit iſti nouo inuento docuit Clariſſimus ille naturae inſectorum ſcrutator, REAUMURIUS. Demonſtrauit enim araneas, iunctim anguſtiori receptaculo incluſas, ſe inuicem deuorare, et amplius ſpatium, quam bombyces requirere. Porro oſtendit, minorem quoque ſerici copiam ab araneis, quam bombycibus expectandam eſſe, cum ad vnam libram ſerici puri, quam 2408 bombyces largiuntur, 50000 araneis opus eſt (vid. *Hiſt. Societ.* p. 75). Reſpondit ad has obiectiones Cl. BON peculiari altera diſſertatione, quae vero nuſpiam impreſſa eſt.

eo obtineri, atque mediante hoc ſale remedium, quod proxime ad decantatum tunc temporis remedium, *Gouttes d' Angleterre* accederet, praeparari poſſe. Quinque ſcilicet vnciae huius ſerici, quinque drachmas ſalis alcalini volatilis dederunt, ex quo tria potiſſimum remedia parauit, cum illud vel cum oleo cinnamomi et caryophyllorum, vel cum eſſentia iuniperi et caſtorei aut rutae, vel cum eſſentia caſtorei et laudano miſcuiſſet. Primam praeparationem *guttas alexiterias*, ſecundam *guttas hyſtericas* tertiamque *anodynas* vocat, horumque remediorum praeſtantiam in pluribus morbis multum extollit. Addita eſt epiſtola aliqua Cl. FAGON, primi medici regis Galliae LUDOVICI XIV, qua Cl. BON ob hanc inuentionem multis laudibus ornatur, medicamentumque ipſum probatur.

Commentarius de cauſſis digeſtionis, auctore Cl. ASTRVC. *) Diſſertatio haec potiſſimum contra PITCARNIVM, et, qui illum hac in re ſecutus eſt, HERQVETVM directa eſt, qui veterem, ab ERASISTRATO iam propoſitam ſententiam, cibum in ventriculo atteri, illaque trituratione digeſtionem perfici, nouis argumentis corroborare tentarunt. Ita enim PITCARNIVS vim preſſionis ventriculi in cibos 12951 librarum pondus aequare aſſeruit, vimque muſculorum abdominalium et diaphragmatis 248235 libras aeſtimauit. Docet itaque hoc commentario Cl. ASTRVC, PITCARNII calculos minus iuſtos eſſe, vimque preſſionis ventriculi trium tantum vnciarum pondus, muſculorum vero abdominalium et ſepti transuerſi quatuor tantum libras aequare. Argumenta ipſa omittimus, cum diſſertatio haec ſeorſim impreſſa ſit**), neminemque eruditorum p. 145.

*) Lectus anno 1711.

**) *Memoire ſur la cauſe de la digeſtion des alimens.* Montpel.

ditorum fugiat, per aliquot annos hanc controuersiam adhuc intra PITCARNIVM et alios, maximum cum animorum contentione agitatam fuisse.

p. 167. *Commentarius de viridi aeris*, auctore Cl. SERANE*). Cum insignis copia viridis aeris quotannis Monspelii paretur, et ex hac vrbe in omnem fere Europam deportetur, Cl. SERANE methodum fusius hic describit, qua illud ex acido vinoso et cupro parari solet. Magna copia acidi huius viridi aeris adhaeret, cum ex libra vna eiusdem Cl. Auctor, destillatione et reductione facta, tantum tres vncias et aliquot grana cupri obtinuerit.

p. 177. *Commentarius de coagulo quodam chemico*, auctore Cl. MATTE**). Describitur hic ab inuentore coagulum illud seu congelatio, quae, si anaticae partes olei, calcis et olei tartari per deliquium, inter se miscentur, ex instanti ita oritur, vt solidum aliquod corpus nascatur, quod tamen affuso spiritu nitri iterum liquescit, docetque, illud ab *offa* sic dicta HELMONTII differre, quae ad praecipitationes magis referri meretur.

p. 182. *Obseruatio* Cl. DE LA PEYRONIE *de magna aliqua operatione chirurgica* ***). Morbus aegri cuiusdam nobili gente nati, et difficillima operatio, quae in eo instituta a Cl. PEYRONIE fuit, fusius hic describitur. Ex scrophulosa et venerea dispositione anterior caluariae pars, a quindecim inde annis ita exesa erat in hoc aegro, vt totum os frontis, pars anterior

Montpel. 1711. 4. *Traité de la cause de la digestion* etc. Toulouse 1714. 8.

*) Lectus anno 1711.

**) Lectus an. 1711.

***) Lecta d. 20 Ian. 1711.

rior ossium bregmatis, ossaque ad radicem nasi, orbitaeque ipsius pars, sinuosis vlceribus corrupta, duraeque matris magna portio, denudata essent. Cum vero tandem aeger Cl. DE LA PEYRONIE auxilium expeteret, ille, humorum massa per apta remedia, quantum fieri poterat, prius purgata, in fronte duplicem incisionem, a fontanella ad orbitam vsque, fecit, relicta inter has duas incisiones cutis parte sex pollices longa, vnumque lata, ne cicatrisatio magni vulneris, omni cute resecta, plane impossibilis redderetur. Deinde cutem corruptam omnem abstulit, variisque operationibus per duos menses continuatis, totum quoque os frontis ossiumque vicinorum partem exemit, cute intermedia inter duas incisiones semper illaesa manente. Cuius quidem laboris difficultas magis adhuc aucta fuit crassitie et duritie ossium corruptorum, ex morbo ipso orta. Morbosis vero ossibus exemtis, cicatrisationem tam ampli vulneris omni studio promouere tentauit, cumque videret, pus acre, e vulnere emanans, sanationem eius retardare, ne mora illud acrius adhuc redderetur, ter de die, a vulgaribus chirurgorum praeceptis recedens, illud deligauit. Tandem stillicidium aquarum Balarucensium cutis incrementum ita adiuuit, vt, licet tenuissima illa esset, duram tamen matrem, osseo suo inuolucro denudatam, vbique perfecte tegeret. Quo vero illa cicatrix non laederetur, aeger postea lamina ex argento confecta, tandemque operculo, ex linteo carnis colore picto, cicatricem muniuit. Ipse vero Cl. huius commentarii Auctor hac occasione docet, in multis casibus frequentiorem vulnerum deligationem, inprimis si pus malae indolis ex vulnere prodit, rariori omnino praeferendam esse, idque tum argumentis, tum obseruationibus et testimonio PARAEI confirmare studet.

p. 198. *Diſquiſitio de methodis librandi aquas ac metiendi aquas fontium, in ſpecie fontis* S. CLEMENTIS, *ac ratione, eius aquas Monſpelium ducendi*, auctore Cl. DE CLAPIES.

p. 220. *Commentarius de variis memorabilibus territorii Gabianenſis, et inprimis de fonte, petroleo diuite, ibidem reperiundo**), Auctore Cl. RIVIERE. Narratis variis memorabilibus ex regno minerali, in confiniis vici, *Gabian* dicti, qui non longe a Monſpelio diſtat, reperiundis, vt lithanthracibus, pumicibus, lapidibus bitumine impraegnatis etc. ad fontem, ex quo petroleum obtinetur, Auctor Cl. progreditur, qui vnicus huius generis in toto Galliae regno eſt. Petrolei ſcilicet, aquae fontis huius ſupernatantis, ſatis magna copia quotannis colligitur atque purificatur, quae licet multo minor recentioribus eſt temporibus illa, quam antiquis temporibus fons ille praebuit. Ipſum vero petroleum opacum eſt, et colorem obſcure brunum habet, et leuitate ſpecifica non aquam ſolum, ſed et ſpiritum vini, oleumque oliuarum multum ſuperat. Incenſum aqua frigida non extinguitur. Chemica tentamina, a Cl. Auctore cum hoc oleo inſtituta, eiuſdemque cum oleo ſuccini comparatio, eum docuerunt, parum diſcriminis inter haec duo olea eſſe, ita, vt petroleum omnino vel illud corpus ſit, ex quo, accedente aliqua cauſſa, coagulum eius efficiente, ſuccinum generetur, vel tanquam ſuccinum reſolutum conſiderari mereatur. Virtus quoque medica petrolei in aduſtis, pernionibus, vulneribus et iſchiadico malo hic confirmatur.

p. 232. Idem quoque Cl. Auctor aquam fontis huius, cui petroleum ſupernatat, chemice examinauit, inuenitque, eam acidam, et alcali volatile bituminisque ſatis

*) Lecta d. 2 April. 1716.

satis magnam copiam continere, vt omnino illam pariter ac terram, quae in fundo huius fontis colligitur, medico vsui summo cum fructu adhiberi posse, constet. p. 237.

Responsio Cl. DE SENES *ad obiectionem* Cl. BOUILLET *contra demonstrationem* Cl. ASTRUC *de vi pressionis ventriculi, cum nonnullis adnotationibus super hac pressione* *). Contra commentarium Cl. ASTRUC, de quo superius retulimus, Cl. BOUILLET plura monuit, cuius tamen Viri Cl. obiectiones non semper rei naturam tangere, Cl. SENES mathematica demonstratione hoc commentario ostendit. Minime tamen in omnibus cum Cl. ASTRUC consentit, sed alia ratione vim pressionis ventriculi aestimandam esse, probat. Plura omittimus, cum Cl. SENES in commentario, actis Academiae Parisinae ad annum 1715 inserto, totam rem multo vberius explicauerit. p. 241.

Commentarius de tumoribus, qui varicum et aneurysmatis naturam simul habuerunt, Auctore Cl. LA MORIER **). Vir quidam septuaginta annorum, ob pectoris morbum in nosocomium Monspelienſe receptus, tumore laborabat, non solum totum brachium dextrum, sed et pectoris ac scapularum confinia occupante. Nigrescentem ostendebat colorem, hinc inde in liuidum vergentem, nullusque pulsus in eo, tactu percipiebatur. Aberat quoque omnis dolor, motusque libere exerceri poterat. Cutis non mollis erat, sed tactu quodammodo resistebat. Quando acu brachium illud vbiuis pungebatur, tunc semper sanguis ad duorum pedum altitudinem per aliquot horae minuta ex vulnusculo prosiliebat. Eleuato p. 245.

*) Lecta anno 1716.
**) Lectus anno 1721.

uato brachio, tumor manus et anterioris brachii ſubſidebat, nouaque in ſummo brachio et pectoris confiniis naſcebatur intumeſcentia, contrariumque eueniebat, ſi brachium terram verſus demittebatur. Tumor hic non recenter ſubortus in hoc ſene erat, ſed iam a natiuitate aderat, atque praeter eum in ſummo capite tres quoque minores tumores eiuſdem generis reperiebantur. Tumorem hunc varicibus analogum eſſe, ſuadebat color cutis, pulſusque abſentia, cum contra aneuryſmatis quoque naturam impetus ſanguinis proſilientis declarabat. Hinc aegro hoc, ex pectoris morbo demortuo, accuratius
p. 248. in tumoris huius naturam Noſter inquiſiuit. Obſeruauit autem flatu, in muſculi cuiuſcunque ſubſtantiam immiſſo, totum brachium turgeſcere, et diſſectione cognouit, fibris muſculorum omnium interiectas eſſe veſiculas plurimas, valde dilatatas, porisque ſatis manifeſtis inter ſe communicantes, ita vt muſculi ſubſtantiam lienis vitulini, flatu diſtenti, fere referrent. Oſſa brachii huius multo minora, quam in ſtatu naturali eſſe ſolent, irregularisque figurae erant, ſuperficiesque inaequales ſpongioſamque ſubſtantiam habebant. Oſſa quoque cranii iis in locis, vbi tumores minores iis adhaerebant, valde attenuata reperiebantur. In explicanda origine ſingularis huius tumoris aſſumit Cl. Auctor, iam in prima foetus formatione partes haſce omnes laxiores, quam in ſtatu naturali eſſe ſolent, fabrefactas fuiſſe. Hinc ſanguis ex finibus arteriarum capillarium non in venas capillares tranſire poterat, ſed in iis ſtagnans, eas ſenſim ſenſimque dilatauit, ex qua hypotheſi Cl. Auctor plurimorum phaenomenorum, in aegro hoc obſeruatorum, rationem reddere ſtudet.

p. 252. *Obſeruatio tranſitus veneris per diſcum ſolis, Monſpelii* d. 9 Nou. 1723 a Cl. DE PLANTADE inſtituta. *Commen-*

Commentarius de cauſſis motus vaſorum corporum animatorum, Auctore Cl. FIZES *) Auctor Cl. in diſquiſitione cauſſarum motus vaſorum occupatus, potiſſimum actionem parietum arteriae in fluida, quae per illam mouentur, examinat, in quo vaſorum genere motus horum parietum euidentiſſimus eſt. Cum autem duplex ſit ille motus, contractionis et dilatationis, duplicis quoque huius motus cauſſas ita exponit, vt doceat, contractionem arteriarum produci a fibris, in tunicis, quae parietes canalis efficiunt, poſitis, dilatari vero arteriam a ſolo impulſu fluidi, quod per illam mouetur. Reperiuntur vero in arteriis non ſolum orbiculares fibrae, ſed et longitudinales, quae tamen eodem modo ac circulares contractioni arteriae inſeruiunt, nec, vti multi autumant, tantum dilatationi. Cum enim punctum fixum habeant in vtraque ſua extremitate, nec aliter contrahi poſſint, quam parietibus, vaſis ita vel contractis vel dilatatis, vt longitudinales hae fibrae, quae rectae antea erant, nunc curuae fiant; ob rationes autem hic fuſius explicatas, non verſus axin canalis incuruari queant, ſed ſemper verſus exteriora; ſequitur, eorum motum omnino cum motu fibrarum circularium ſynchronum eſſe, neque antagoniſmum quendam inter duplex hoc fibrarum genus locum habere. In dilatatione vero explicanda vim cordis ſolam in auxilium vocat, quae profecto tanta eſt, vt fluidum, in arterias pulſum, reſiſtentiam fibrarum circularium et longitudinalium ſuperare valeat. p. 254.

Commentarius de hiſtoria naturali Languedociae, Auctore Cl. DE PLANTADE **). Cum Societas Regia Monſpelienſis id potiſſimum munus ſibi impoſuiſſet, vt patriae prouinciae ſitum productionesque p. 266.

*) Lectus d. 6. April. 1724.
**) Lectus a. 1726.

naturales deſcriberet, Cl. DE PLANTADE hoc commentario in publico aliquo conuentu dictae ſocietatis praelecto, oſtendit, quae hac in re vel iam praeſtita, vel a ſocietate adhuc exſpectanda ſint.

p. 282. *Obſeruatio eclipſeos ſolis*, d. 25 ſeptembr. 1718 *Monſpelii* a Cl. DE PLANTADE inſtituta.

p. 286. *Deſcriptio ſalinarum*, ſalines de Pecais *dictarum*, Auctore Cl. MATTE*). Methodum deſcribit Auctor Cl. qua, in lacubus quibuſdam mari vicinis, ope caloris ſolis et ventorum, ex aqua marina, aut ex ea et ſale marino, fundo horum lacuum adhaerente, (obſcura enim nobis quodammodo ea ſunt, quae hac de re Cl. Auctor habet) ſal, culinari vſui aptum, inſpiſſatur. Sal hoc recenter paratum violaceum odorem ſpargit, inſignemque amaritiem habet, quam poſt aliquot annos amittit, quo tempore demum elapſo, ad vſum vulgarem adhiberi poteſt.

p. 293. *Anatome ſepiae inprimisque illarum partium, quibus liquorem nigrum, quem continet, de ſe ſpargit.* Auctore Cl. LA MORIER**). Atramenti quandam ſpeciem, quo litterae olim pictae fuerunt, ſepiam continere, illudque, quo ſe occultet, emittere, omnibus notum eſt. Continetur illud in veſica quadam, duos circiter pollices longa, quae in medio abdomine ſita eſt, ex qua ductus aliquis ad inteſtinum pertinet, quod non orificio aliquo extra corpus patet, ſed ſingulari profecto exemplo in medio abdomine finitur. Haec vero abdominis cauitas duo iterum orificia habet, extrorſum patentia. Superius, quod intra caput et abdomen ſitum eſt, *infundibuli* nomine ab Auctore Cl. inſignitur, cum interius latius ſit, et

*) Lecta a. 1726.
**) Lecta d. 21 Maii 1727.

et versus exteriora magis angustetur. Hac apertura atramentum excernitur, ne vero aqua marina per illam corpus ingrediatur, valuula aliqua in media huius ductus parte sita, cautum est. Altera apertura sub priore sita est, liberumque ingressum aquae marinae in ipsius abdominis sepiae cauitatem, ex qua atramentum faecesque eluit, permittit, atque per eam minores quoque pisces nonnunquam in corpus sepiae penetrant. Potest tamen et haec eminentiis quibusdam, quas *articulares* Noster dicit, claudi. Iam, si sepia atramentum suum emittere vult, orificium posterioris s. minoris aperturae, mechanismo fusius hic descripto, claudit, et abdomine contracto, vesicaque, quae atramentum continet, versus os, quod dorsum tegit, pressa, atramentum in abdominis cauitatem, per commune vesicae et intestini orificium exprimit. Atramentum vero, quod valde spissum est, ibidem per aquam marinam, quae in abdominis cauitate continetur, diluitur, tandemque per infundibulum eiaculatur. Omittimus alia, quae Cl. Auctor de sepiae partibus profert, tantumque monemus, cotyledones, quibus tentacula sepiae instructa sunt, ita fabrefactas esse, vt, digito iis vel post aliquot a morte sepiae horas, admoto, sugendo quasi eidem tam arcte, quamquam sine omni dolore, adhaereant, vt, si eleuetur rursus, sepia quoque tota simul in altum trahatur. Hinc probabile est, sepiam non modo, quando mare procellis agitatur, se earum ope rupibus affigere, sed iis etiam vti in piscibus capiendis.

Obseruatio de fistula intestini ilei, Auctore EODEM *). Vir quidam sexaginta quinque annorum, leuiore ictu in scrotum accepto, statim vehementi colica afflictus, viginti circiter horis post ictum mortuus est. Cadauere iussu magistratus, ad laesionis

eo p. 301.

*) Lecta d. 2 Dec. 1728.

naturam cognoſcendam, examinato, leuis tantum contuſio in ea ſcroti parte, cui ictus inflictus erat, adparuit. Abdomine tamen ipſo aperto, ſatis magna copia liquoris ſpiſſioris odorisque vrinoſi effluxit, qui pro pure haberi potuiſſet, niſi breue, quod inter laeſionem et mortem effluxerat, tempus tantae copiae puris generationem plane impoſſibilem reddidiſſet. Accuratius itaque in originem huius materiae ſecantes inquiſiuerunt, tandemque in inteſtino ileo foramen aliquod detegerunt, cuius calloſi margines fiſtuloſam eius naturam fatis declarabant. Aderat praeterea in peritonei eiuſdem lateris ſuperficie interna, veſtigium adhaeſionis huius partis inteſtini ad peritonaeum, qua illa apertura antea clauſa fuerat, et qua per ictus vim ſoluta, nunc chymus, ex inteſtino in abdominis cauum effluens, materiae, in abdomine repertae, originem praebuerat. Foramen vero illud fiſtuloſum ortum eſſe ex abſceſſu olim nato, in ipſius inteſtini tunicis, Auctor probat, quae inflammatae, peritoneo vicino adhaerentes, pure in abſceſſu illo generato, exitum tandem ad inteſtini cauum conceſſerant. Cum vero inteſtinum in eo loco quodammodo anguſtatum eſſet, difficilior alimentorum per hanc morboſe affectam partem tranſitus, frequentiorum dolorum colicorum cauſſa exſtitit, quibus ſaepius aeger vexatus eſt. Ictus tandem ſcroto inflictus, nexum hunc inteſtini cum peritoneo ob tenſionem vaginae funiculi ſpermatici et concuſſionem violentam ſoluit, vt itaque omnino haec laeſio non abſolute lethalis iudicari deberet.

p. 306. *Obſeruatio eclipſeos lunae* d. 8 Aug. 1729, *Monſpelii* a Cl. DE PLANTADE *facta.*

p. 309. *Commentarius de lolio,* (l'ivraie) Auctore Cl. RIVIERE *). Saepenumero obſeruatum eſt, eſum lolii,

*) Lecta d. 22 Dec. 1729.

lii, frumento admixti, funeſtos effectus, cephalalgiam, morbos ſoporoſos febresque acutas produxiſſe, idque magis in ſenibus et facile irritabilibus corporibus, quam in infantibus et phlegmaticis. Cl. igitur commentarii huius Auctor, quo cauſſam venenatae indolis lolii cognoſceret, illud chemico examini ſubiecit, cognouitque, plurimas ei ineſſe reſinoſas ſalinasque partes. Ex octo enim vnciis eiuſdem vnciam vnam reſinae, duasque extracti ſalini obtinuit, ex quibus reſinoſis et ſalinis partibus vtpote acrioribus, conuulſiuas irritationes deducit, quae plurimorum morborum, quibus ii, qui panem, lolio adulteratum, comederunt, affliguntur, cauſſa ſunt. Diluentia itaque taliaque, quae acrimoniam nociuarum partium obtundunt, nec non acida, tanquam omnium vegetabilium antidota, in morbis hiſce maxime proficua fore, concludit.

Obſeruatio eclipſeos lunae, Monſpelii facta d. 3 Febr. 1730. Auctore Cl. DE PLANTADE. p. 318.

Diſquiſitio de reſtitutione ponderum menſurarumque Aloiſienſium ex comparatione earum cum ponderibus et menſuris Monſpelienſibus, Auctore Cl. DE CLAPIES. p. 322.

Deſcriptio Aurorae borealis Cuerii d. 15 Febr. 1730 a Cl. DE SENES *obſeruatae*. Nihil ſingulare haec obſeruatio continet. p. 329.

Deſcriptio phaenomeni, Marſiliae d. 15 Febr. a Cl. CAUMETTE *obſeruati*. Conſpiciendum ſe illud circa horam veſpertinam ſeptimam praebuit, cum admodum lucidae ſtriae, ex plaga boreali verſus ortum in horizonte ſe extendentes, viſae ſunt, per pleiades ſenſim ſenſimque acutiores progredi et tandem coniungerentur cum ſtriis eadem lege in coelo p. 332.

orientali exortis, quae verſus eaſdem ſtellas vergebant.

P. 334. *Obſeruatio morbi cerebri*, Auctore Cl. MARCOT*). Homo conſtitutionis ſanguineae, poſt varios diaetae errores vertigine corripiebatur, et deinde hemiplegia, quam viſus demum obſcuratio, tandemque paraplegia et apoplexia excipiebant. In diſſecto cadauere concretio dura polypoſa in ſinu longitudinali reperiebatur. Poſterior quoque cerebri pars ſcirrhoſa et fere cartilaginoſa erat, eodemque vitio thalami neruorum opticorum corpora ſtriata et medulla oblongata laborabant. Cerebellum autem vix mutatum erat.

P. 338. *Obſeruatio hydrophobiae*, Auctore Cl. HAGUENOT **). Hiſtoria eſt vulgaris hydrophobiae ex morſu canis rabidi ortae, qua occaſione Cl. Auctor varios errores circa hydrophobiam vulgares refellit, docetque, aquae metum nec ex ſolo delirio, nec ex morboſa aliqua pharyngis et oeſophagi affectione, ſed ex vtroque ſimul oriri.

Finem huius voluminis quatuor diſſertationes faciunt, a ſodalibus ſocietatis Monſpelienſis, hac periodo exaratae, et Academiae Regiae Pariſinae transmiſſae, quae eas etiam actis ſuis inſeruit, et quas nominaſſe tantum ſufficiat. Prima eſt: *proportiones pro determinandis angulis horariis in horologiis ſolaribus horizontalibus, verticalibus declinatis ac inclinatis per trigonometriam planam demonſtratae* a Cl. DE CLAPIÉS, quae in actis Pariſinis a. 1707 legitur. Secunda eſt Cl. ASTRUC *commentarius de eleuatione plantarum verſus horizontem inclinatarum*, quae ad annum 1708, vti

*) Lecta d. 24 Aug. 1730.
**) Lecta d. 7. Dec. an. 1730.

vti tertia Cl. GAUTERON *de euaporatione liquidorum in frigore vehementi*, ad annum 1709 pertinet. Vltima Cl. PEYRONIE *de ouis gallinaceis, vitello carentibus*, actis anni 1710 inserta est.

II.

Synopsis vniuersae praxeos medicae, in binas partes diuisa, quarum prior contractum omnium morborum, tum internorum, tum externorum conspectum exhibet; altera vero rem medicamentariam; vel promptuarium selectissimorum medicaminum, emporeticorum, officinalium et magistralium, perpetuis commentariis illustratum sistit. Auctore IOSEPHO LIEUTAUD, primario stirpis regiae medico. Imperante dilectissimo Ludouico XV. Pars prima. Amstelodami, sumptibus fratrum de Tournes. 1765. 4. Alph. 3 pl. 18½ cum praefat. pl. 2. Pars secunda ibid. eod. anno, Alph. 2 pl. 6½ cum indicibus pl. 5.

Alio iam tempore, cum Cl. Auctoris compendium medicinae *) indicaremus, de proposito fine operis illius diximus. Idem ergo liber, ordine parum mutatus, at multis iisque egregiis accessionibus auctus, iam denuo in publicum prodiit. Accesserunt enim non tantum varia doctrinae capita, in priori omissa, v. c. in morbis externis capitis, cephalalgia, insolatio, *coup de soleil* cerebri commotio, parotis, bronchocele, deglutitio laesa; in morbis infantum generalia quaedam; de cura recens natorum,

*) Précis de la médécine pratique par Mr. LIEUTAUD, à Paris 1759. 8. Vid. Comment. nostr. Dec. I. Suppl. II. pag. 303 sqq.

natorum, coloſtratio, febris, variolae et morbilli, morbus coxaris: alia vero in commodiorem locum delata ſunt, vt lepra ex generalium internorum morborum claſſe ad cutaneos, cet. ſed integra etiam ſecunda pars, quae materiam medicam ſiſtit, recenſ eſt. Ratio tractationis cum ea, quae in ſuperiori gallico libro obtinet, conuenit. Placuerunt inprimis additae obſeruationes in examine anatomico corporum, morbo exſtinctorum, factae.

Partis prioris ordo ex ſuperiori recenſione iam eluceſcit: quare huic quaedam tantum addere iuuabit. In febre ardente venaeſectio rariſſime poſt primum inuaſionis diem locum habet, imo poſt hoc tempus vehementiora ſymptomata ipſasque conuulſiones excitat. Nec in genere ea, ſpontaneae vel criticae haemorrhagiae cuicunque, aequiparanda eſt. Malignae febres complectuntur purpuratas, petechiales et miliares, quippe quae effloreſcentiae ſymptomaticae tantum a certo caloris gradu, a quodam ſudoris prouentu, cet. pendere videntur. Ad eradicandas febres contumaciores, remedium ſibi par forte non habere, vrinam pueri vel adoleſcentis, mane ad cyathum ſingulis diebus propinatum, Cl. Auctor commemorat. Aeſtus morboſus, de quo ne verbum quidem mutiiſſe auctores, conqueritur Noſter, nobis quidem, ſatis commode ad plethoram ſanguineam referri poſſe, videtur. In virium exſolutione, laudatus a TISSOTO martialium et peruuiani corticis vſus, vlterioribus obſeruationibus indiget. Inſultus catarrhales non a ſola ſuppreſſa perſpiratione, ſed ſimul a materiae cuiuſdam peregrinae, in aere latitantis, ingreſſu per cutis et pulmonis poros pendere videntur. Emetica in nonnullis conſtitutionibus epidemicis morbum in ipſis incunabulis ſuffocant. Cachexiam et chloroſin differre ex eo patet, quod hanc coniugium breui ſoluit, illam contra

p. 19.
p. 23.
p. 39.
p. 49.
p. 52.
p. 59.
p. 60.
p. 61.

tra exaſperat. Ab ictero itidem, ob breuiorem huius, longiorem illius curationem, diſcrepat. Nec ſcorbutus cachexiae ſpecies dici debet, quamuis ei ſaepe iunctus ſit. In ſcorbuto, dum vrgent dolores et vi- p. 68.
gent exanthemata, diaphoretica commendantur, praecipue diaphoreticum minerale, antihecticum POTERII, ſal volatilis ſuccini, ſpiritus ſalis ammoniaci cet. Ad arthritidem retropulſam conducunt p. 84.
ſaphenae ſectio, et praeter interna et externa alia, hirudines, vaſis haemorrhoidalibus admotae, et, ſi materia arthritica ſtomachum obſederit, commendatus a quibuſdam moſchus; nec deſpicienda hypnotica, niſi mentis obfuſcatio vel reſpirandi difficultas ea vetet. Aneuryſma cordis falſo dicitur thalamorum p. 106.
dilatatio, toto caelo a genuino aneuryſmate diſtans; quo tamen interdum, quamquam rariſſime, arteriae coronariae cordis afficiuntur. Apoplexia praeter p. 129.
ſanguineam et ſeroſam, tertiam quoque ſpeciem admittit, accidentalem nempe, a quauis alia, quam ſanguinis vel ſeri preſſione, in cerebrum oriunda. In phthiſi plurimis profuit cauterium occipiti vel ſca- p. 186.
pulis admotum, quo materia morboſa ſenſim euacuetur. In hydrope pectoris praeſtantiſſimum re- p. 192.
medium kermes minerale, refracta doſi exhibendum, cenſetur, quod iam catharſin, iam diureſin vel diaphoreſin mouet. Purgantia per aluum caute vſurpanda ſunt, ne maraſmus lethalis accedat. Ad al- p. 226.
vum adſtrictam quidam commendant hauſtum ſecalinum, coffeae ad inſtar paratum. In hepatitidis tra- p. 248.
ctatione Cl. Auctor exemplum viri refert, qui poſt repulſum herpetem, per biennium tumorem in hypochondrio dextro geſtabat, qui ſenſim dimidium abdomen occupando, reſpirationem difficilem reddebat; tandem, via per eroſum diaphragma in pectus patula, ſtupenda puris euacuatio ceu ex vomica euenit, quod adſtantium iudicio ſex vel octo libras pondere

dere aequauit, faecum vini colorem et craſſitiem referens et ſumme foetens: aeger autem viribus ex-
p. 253. hauſtus, quatriduo poſt periit. Ad delendas ex oculis icteri reliquias fumus aceti prodeſſe fertur. Cal-
p. 254. culum renum vtplurimum in ſiniſtro haerere, obſeruatio docuit. Mirandum ſane, in cadaueribus plu-
ries inueniri vel lapides variae molis in renibus haerentes, vel ren[illegible] alterutrum maxime corruptum, quum tamen in v[illegible] neque vlla in vrina ſigna ſe monſtrauerint, neque nephritidis inſultus acceſſe-
p. 255. rit. Si in nephritide, vrina diutius ſuppreſſa, vitae periculum imminet, ad emeticum confugiendum, cuius tamen effectus ſemper anceps eſt. Pilulae STEPHENS etiam vigente inſultu, ſi morbus ab are-
p. 259. nulis vel calculo pendeat, optimi vſus ſunt. Vuae vrſi in calculo vis, a Cl. DE HAEN probata, in dubium vocatur, aeque ac aquae calcis efficacia. Pi-
p. 260. lulas e contrario iam dictas in viro, febre iam lenta laborante, mirum effectum praeſtitiſſe, Cl. Auctor narrat, qui poſt octo menſes plane immunis a mor-
p. 263. bo atrociſſimo euaſit. Femina, quae per duos annos mictu cruento laborans, variis incaſſum adhibitis, tandem naturae curationem commiſerat, ad refocil-
p. 264. landum ſtomachum ſaluiae vſu conualuit. In vlcere renum vel veſicae tanta interdum copia vrinae faeculentae in alterutro rene colligitur, vt ad duodecim libras accedat, imo in alterutro vretere ad libras duas.

Pergimus ad librum ſecundum, morbos externos ſpectantem, cuius ſectio prima de morbis generali-
p. 281. bus vel incertae ſedis exponit. Obeſitas corpori interdum tam magnam molem conciliat, vt eius pondus ad octingenti libras accedat, ambitusque abdominis octo pedes gallicos ſuperet. Corpus cellulоſum, cuti ſubiectum, tanta adipis copia refertum conſpi-

conſpicitur, vt altitudinem 12 vel 14 digitorum aequet. Inſtar omnium medicamentorum aduerſus obeſitatem eſt acetum ſcilliticum. Atrophia vel eſ p. 283.
ſentialis eſt, vel ſymptomatica. In phlegmone, vr- p. 289.
gentibus etiam doloribus, caute hypnotica dari debent: ſuppurationi enim officere et gangraenam accerſere queunt. Bubonis venerei curatio venae ſe- p. 295.
ctione auſpicanda, ipſique externa emollientia applicanda ſunt: ſi vero tumor indolens ad ſuppurationem non vergat, cucurbitulae ſiccae, veſicatoria vel cauſtica ipſa admoueri debent, quo facto, humoribus in motum actis, excitata ſuppuratio, per triginta vel quadraginta dies protrahenda eſt, tumorisque ambitus refracta doſi vnguenti neapolitani fricandus, et intus mercurialibus vtendum; neque cautus laxantium vſus, imminente praeſertim ptyaliſmo, intermittendus. Sin vlcus in fiſtulam mutetur, vel cancri indolem acquirat, ad hydrargyroſin confugiendum; qua tamen interdum non ſufficiente, ſola ſalus in exſtirpatione, ſi ſedes morbi eam permittat, remanet. Eadem curatio prodeſt in bubone peſti- p. 296.
lentiali: imo expedit, integram glandulam exſcindere. Carbunculus ſcarificationes, cathaeretica, et p. 297.
topica, maturantia et antiſeptica poſtulat. Furunculus epinyctidem et therminthum tamquam ſpe- p. 298.
cies ſub ſe comprehendit, quae etiam iiſdem, vt ille, remediis indigent. Oedema, a cauſſa accidentali or- p. 301.
tum, per ſe tollitur; ſed a paucis humoribus vel viſceris labe prognatum, ſtomachicorum et roborantium, hydragogorum, diureticorum, diaphoreticorum, et reſoluentium topicorumque externorum vſum efflagitat. Eadem externa etiam emphyſemati congruunt. Scirrho multa quidem interne opponi ſo p. 303.
lent: praeſtantiſſima tamen videntur lacticinia et aquae nonnullae medicatae. Inter externa praecellunt reſoluentia, emollientibus miſta. Remedia interna ad p. 304.

uerſus

uerſus cancrum nihil proficiunt, niſi ille ſimul exter-
p. 305. nis oppugnetur. Exſtirpatio omnium tutiſſimum eſt: regreſſus optime, fonticulo applicato, praecauetur. Vbi nullus exſtirpationi locus ſupereſt, externe demulcentia et anodyna adhiberi debent. De cicutae effectibus in Gallia nondum ſatis conſtat.
p. 309. Tumores cyſtici complectuntur lupias, quae pro diuerſa, qua ſcatent, materia, meliceridem, atheroma, ſteatoma, ſiſtunt, tumores adipoſos et lymphaticos, ganglia cet. Interdum tumoris cyſtici moles ad
p. 310. quinquaginta libras accedit. Recentes, topicis admotis, reſoluuntur: annoſi vel nullam curationem admittunt, vel tantum exſtirpationem, cultro chirurgi aut cathaereticis perficiendam, nonnunquam etiam ligaturam; prior tamen methodus, etſi difficilior, ta-
p. 312. men optima cenſetur. Sarcomatum, verrucarum et cornuum exſtirpatio, cathaereticis vel cauterio actuali tentata, non ſemper reſpondit exſpectationi: cauendum ab ea, ſi hi tumores cancroſi quid prae ſe ferant, aut metus ſit, ne membranae, tendines et liga-
p. 315. menta laedantur. Ad viperae morſum amputatio partis laeſae tutiſſimum forte remedium eſt. In ta-
p. 318. rantiſmo non tantum inſtrumenta muſica, ſed etiam colores viuidiores leuamen afferre videntur. Morſus canis rabidi periculoſiſſimus eſt in poſtremo rabiei caninae ſtadio, ſi is nempe, deficientibus viribus, humi proſtratus, conuulſionibus corripitur. Solus ſaliuae contactus, nullo inflicto vulnere, aeque noxius eſt. A ſectis hydrophobicorum cadaueribus credere par eſt, a bilis in abdomine debacchantis incandeſcentia praecipua ſymptomata oriri. Immerſio in aquam maris vel fluminis, pluries ſingulis diebus repetita, et mercurialium vſus, quibus camphora non ſine iure ſociatur, praeſtantiſſima remedia ha-
p. 325. bentur. Variis de contuſione et vulnere propoſitis, ad ambuſtionem progreditur Cl. Auctor, cuius tres

ſpecies

ſpecies conſtituit, ſi vel cutis ſola eiusque ſuperficies, vel contextus celluloſus, vel aliae ſubiectae partes, imo ipſa oſſa, tanguntur. Saeuiſſima ambuſtio oritur a fulminis ictu. Omnibus medentur repercutientia, demulcentia, reſoluentia et digeſtiua. Oculorum aduſtio praeter iteratam venae ſectionem topica demulcentia exigit. Faciei a puluere pyrio foedatio poſtulat, vt ſingula grana acus ope eximantur, ne ſtigmata remaneant non delenda, niſi veſicatorio recruentatum fuerit vulnus et abſoluta haec extractio. Gangraena, tam ab externis cauſſis orta, quam ab humorum praua conſtitutione pendens, difficillime curatur. Omnibus aduerſus illam remediis palmam praeripit Peruuianus cortex, cuius tamen in variolis gangraenoſis vſus, vetatur a febre intenſiore vel quadam pectoris labe. Pluribus ſuper hac re conſulendum eſſe Cl. QUESNAI, Noſter monet. p. 327.

Sectio ſecunda de morbis capitis agit. Cephalgiae vti diuerſiſſimae cauſſae ſunt, ſic maxime etiam curationis ratio diſcrepat. Inſolationis (*coup de ſoleil*) extremum gradum truculentiſſima ſymptomata ſequuntur, quae, iterata pro rerum ſtatu venae ſectione, et refrigerantibus internis ac externis tolluntur. Cerebri commotio graue periculum portendit; auxilium poſitum eſt in venae ſectione, euacuantibus, diaphoreticis et vulnerariis, nec non remediis externis, ad apoplexiam et paralyſin proficuis. Parotidis tres numerantur ſpecies: ea, quae inter ſymptomata febrium acutarum, malignarum inprimis et peſtis, recenſetur; ea, quae morbos chronicos reſpicit; et ea, quae laeuiorem et fugacem cauſſam admittit, ſpuria dicenda. Curatio iiſdem fere, quibus bubonis, abſoluitur. Bronchocele iiſdem remediis internis aggredienda eſt, quae lupiae deſiderant: quibus ſi non cedit, tutius non tangitur. Gutta roſacea, plerumque a vini abuſu, nonnumquam ab aliis humorum inquinamen- p. 330. p. 333. p. 337. p. 338. p. 339.

tis oriens, medelam, cognitis cauſſis accommodatam,
p. 340. poſcit. Inter morbos oculorum breuibus recenſentur palpebrarum coalitus, lapſus palpebrae ſuperioris, palpebrarum inuerſio, tuberculorum variae ſpecies, ſarcomata, lippitudo, epiphora, fiſtula lacrymalis, ophthalmia, ſugillatio, maculae, nubeculae et albugines, ſuffuſio et amauroſis, in qua praedicatur internus euphraſiae et cephalicorum ac antiſpaſmodicorum vſus.
p. 351. Inter narium morbos pertractantur coryza et grauedo, ſternutatio, haemorrhagia, vlcus,
p. 356. polypus. Claſſem morborum aurium ſubeunt otalgia, a variis cauſſis orta, et ſurditas, cuius quum cauſſa plerumque obſcura ſit, varia medicamenta adhibenda, videndumque, num aliquid iis effici queat.
p. 359. Ad morbos oris ſpectant conuulſio et paralyſis labiorum, indeque pendens tortura oris et ſpaſmus cynicus ſeu riſus ſardonius; fiſſura labiorum, quo etiam labium leporinum pertinet; tumores varii generis, nimirum intumeſcentia gingiuarum inflammatoria, ranula ſeu tumor cyſticus, ad linguae fraenulum haerens et plerumque materiam viſcidam, albumini ouorum ſimilem, continens, tonſillarum infarctus, varii in ore tumores ſcirrhoſi cet. vlcera oris mali moris, ad quae tamen aphthae referendae non ſunt; ptyalifmus; dentium morbi, nempe dolores, a quacumque cauſſa orti, ſpurcities, laxitas, ſtupor; oris foetor, plurimis cauſſis adſcribendus; ſitis intenſa; uvulae prolapſus. Potulentorum auerſationem in febribus malignis non ſemper adeo timendam eſſe, Cl. Auctor monet, qui ſimul, ab ademta columella nihil incom-
p. 366. modi proficiſci, tradit. Deglutitio innumeris cauſſis laeditur, cum externis, tum internis, v. c. oeſophago obſtructo a bolo maiore alioue impedimento; angina inflammatoria; conſtrictione conuulſiua; paralyſi; tumoribus pharyngis, oeſophago vicinioribusque partibus adnatis: a quarum cauſſarum cognitione

ne curatio repetenda eſt. In obſcura cauſſa, palliatiua curatione per enemata nutrientia vtendum eſt, qua per octo vel decem menſes feminam ſeruatam eſſe, Cl. Auctor narrat. Anginae diuerſae ſpecies notiſſimae pertractantur. In inflammatoria, ſi abſceſſus in quacunque oris parte appareat, ſine mora incidendus, emiſſoque pure, gargariſmatibus detergentibus inſiſtendum eſt. Catarrhalis, periculo vacans, ſolis naturae viribus, regimine congruo, cedit. Gangrenoſa contagioſa eſt et ſummum terrorem incutit. Venae ſectioni tantum ſub initium locus conceditur: blandiora laxantia, antiſeptica, inque numero eorum praeſertim camphora, ſcarifationes occipitis et magis adhuc veſicatoria, ceruicis lateribus admota, quam maxime conducunt. Cauendum tamen a ſcarifatione partium gangrenoſarum, quibus melius opitulantur gargariſmata demulcentia et refrigerantia, v. c. ſaccharum ſaturni, in aqua ribeſiorum vel roſarum rubrarum ſolutum. Conuulſiua plerumque ſymptomatica eſt, et curationem potiſſimum per antiſpaſmodica externa et interna, enemata ſtimulantia, et reuellentia externa poſtulat.

p. 369. p. 370. p. 371. p. 372.

In ſectione tertia de morbis trunci et artuum exponitur, vbi, paucis de pleuritide notha prolatis, ad lumborum morbos tranſitus fit, et de lumbagine, dolore lumborum febrili, eoque, qui a vehementi muſculorum quorumdam commotione ac veluti diſtorſione oritur, tandemque de natta ſeu tumore adipoſo, in dorſo protuberante, diſſeritur. Vberior paullum eſt tractatio de variis herniarum, tam verarum, quam ſpuriarum ſpeciebus, quibus ſubiungitur hiſtoria morbi, quem hypogaſtrocelen C. Auctor appellat. Tarde ille incrementa cepit in femina quinquaginta annorum; in initio quippe ſenſim et abſque dolore abdomen eleuabatur, qui tamen tumor, indies moleſtior euadens, febrem lentam concitabat.

p. 374. p. 376. p. 379.

Quamquam autem omnia integumenta multum expanſa erant, in hypogaſtrico tamen vlterius protendebantur, et ad media crura duplicata propendebant. Reliquo interea corpore marceſcente, poſt tres quatuorue menſes aegra interiit. In cadauere corpus adipoſum craſſiſſimum inuentum eſt, adeo, vt circa ilia ſeptem pollices craſſitie ſuperaret; epiploon, extus minime protuberans, vmbilico accretum; viſcera
p. 380. abdominalia ſcirrhoſa et purulenta erant. In morbis genitalium occurrunt phimoſis et paraphimoſis, varii generis tubercula, porri nempe, criſtae, condylomata cet. exulcerationes, priapiſmus vel ſatyriaſis, impotentia venerea, gonorrhoea, cuius quatuor ſpecies, virulenta nimirum interna eaque familiarior, virulenta externa, ſimplex et ſpuria, quibus et pollutio nocturna adiungitur, recenſentur, haemorrhagia penis, inflammatio teſtium et ſcroti, hydrocele vera et
p. 385. ſpuria, pneumatocele, varicocele et ſarcocele. In gonorrhoea virulenta interna, ſi ea omnibus remediis obſurdeſcit, experiri remedium quoddam, a GARIDELLO commendatum Auctor ſuadet, quod ex hypociſtide, gummi guaiaco, coccionella et cantharidibus conficitur. Ad gonorrhoeam ſpuriam ea etiam refertur, quae ab hauſta cereuiſia recenti oritur, cui aeque ac dyſuriae, eadem de cauſſa ortae, tantillum aquae vitae
p. 389. medetur. Inter topica reſoluentia ad inflammationem teſtium et ſcroti, laudatur terra cultrariorum, de cote verſatili decidua, oleo et aceto roſaceo ſubacta et forma cataplaſmatis admota: omnibus tamen, ſi lues venerea ſubſiſtit, praeſtat inunctio mercurialis in ipſo ſcroto vel vicinis partibus, cuius etiam vices
p. 392. ſuffitus ex cinnabari ſupplet. Morbis ani annumerantur haemorrhoides tumidae et fluentes, fluxus eorum ſuppreſſus, haemorrhoides albae, tubercula ad anum, quibus varia ſunt nomina, fiſtula, procidentia
p. 399. denique. Morbos artuum pertractaturus Cl. Auctor, varia

varia eorum incommoda, vel ante iam considerata, vel in aptiorem locum deferenda, omittit, et tantum de contracturis, atrophia vel aridura artuum, tumore crurum oedematoso, tumore albo, genua praesertim et cubitos obsidente, paronychia, pernionibus, pustulis inflammatoriis seu roseolis saltantibus, vti AURELIVS SEVERINVS eas dixit, clauis pedum, morbo ischiadico, spastico stupore crurum, quem barbaro nomine crampum vocant, de infortuniis, quae in venaesectione accidere possunt, de distorsione pedum, ac de sudore eorum exponit. In tractatione p. 410. de morbis ossium breui de luxationibus et fracturis agitur, et ankylosis in veram, vbi ossium coalitus mo- p. 411. tum omnem tollit, et spuriam, vbi ligamenta arida vel rigida motum quemdam, quamquam obscuriorem, relinquunt, diuiditur. Postremam emollientia variae formae tollere valent; priorem iam adultam nihil, incipientem vero inunctionibus mercurialibus aliisque resoluentibus tentare conuenit. Ad exo- p. 412. stoses gummata et nodi referenda sunt; minime vero huc spectant tophi arthritici, prominentiae calli, et ossificationes tendinum in senibus. Cariei duae species sunt, sicca et humida; vtraque vel a caussis externis vel internis proficiscitur. Spina ventosa ap. p. 414. quibusdam pro genuino ossis cancro habetur.

Sectio quarta morbos cutis pertractat. Sudo- p. 416. ris vitia eundem subito suppressum chronicum, periodice recurrentem concernunt. Phthiriasis pedi- p. 418. culos varii generis complectitur, quibus potissimum mercurialia opponuntur. Inter cutis maculas ephe- p. 419. lides, lentigines, maculae hepaticae, naeui materni, et fuscus faciei ab insolatione color; exanthemata variae indolis, ecchymosis praesertim a contusione oriunda, purpurae diuersae species et aliae eruptiones anonymae referuntur. Herpes in fugacem, farinosum, miliarem et serpiginosum diuiditur: prior p. 421.

ſponte euaneſcit; ſecunda aegre domatur; duae an-
p. 422. tem poſtremae ſpecies pertinaciſſimae ſunt. Raro
ſub grauioribus et diuturnis cutis morbis, hepar il-
laeſum reperiri, Cl. Auctor tradit, ideoque magnum
huius viſceris cum cute conſenſum eſſe colligit.
p. 423. Pruritus ſimplex ad herpeten proxime accedit. Hi
morbi remediis topicis oppugnandi non ſunt, niſi
p. 424. praemiſſa curatione interna. Scabies nulli corporis
parti, excepta facie, parcit, in quo differentia ab her-
petis ſpeciebus ponitur. Praeter co tagium et im-
munditiem etiam aedes humidae eamdem produ-
cunt, virus item venereum et ſcorbuticum, febris
quartana, hepatis labes cet. accerſunt et fouent.
p. 425. Impetigo gradu tantum a ſcabie recedit, et ratione
ferocioris indolis leprae propior eſt, qui rariſſimus
p. 426. hodie morbus primo intuitu ex ſcorbuto, lue vene-
rea et ſcrophulis, quorum forte particeps eſt, con-
ſtare videtur. Deſcribitur a Cl. Auctore, cui eum
videre bis contigit, vt extremus ſcabiei cruſtaceae
et ſquamoſae gradus, vitiis his cutaneis demum can-
cri vniuerſi faciem prae ſe ferentibus. Ab elephan-
tiaſi Aegyptiis endemia eo differt, quod haec parti-
bus internis parcat, et plerumque ſola crurum inte-
gumenta occupet. Lepra, praemiſſis diluentibus,
demulcentibus, refrigerantibus, temperantibus et
depurantibus, incidentia et ſudorifera poſtulat, qui-
bus iungenda ſunt balnea, et interponenda leniora
cathartica: tandem mercurialibus aliisque reſoluen-
tibus vtendum. Topicis ad ſcabiem et herpetem
proficuis, ſuus etiam hic locus relinquitur. Elephan-
tiaſis iiſdem, habita gradus morbi ratione, remediis
p. 429. impugnatur. Eryſipelas vel legitimum eſt, quorſum
zoſter pertinet, vel puſtuloſum, vel id, quod roſalia
apud auctores audit. Proxime ad hunc morbum
ſcarlatinus accedit. Morbilli raro mali ominis ſunt,
niſi diaetae erroribus vel peruerſa medendi ratione

peiores

peiores reddantur. Variolas discretas et confluentes distinguere vix opus esse videtur, quum non nisi gradu differant. De valore insitionis ambigere aliquantum Cl. Auctor videtur. Topica exsiccantia adhibere non semper conuenit. Danda est opera, ne palpebrae agglutinentur et stagnans pus vlcera in bulbo vel facie interna palpebrae efficiat: quibus praesentibus lapide diuino vtendum. p. 435.

Liber demum tertius morbos sequioris sexus et infantum complectitur, cuius sectio prima de morbis virginum et mulierum exponit. Praemissa proli- p. 441.
xa de hysteride tractatione, pauca de pica et malacia, nec non de chlorosi vel febre alba virginum, exponuntur. Inter morbos a catameniis referuntur mensium suppressio, iidem deuii, eorum difficultas, fluxus inordinatus, tandemque haemorrhagia vteri. Ste- p. 454.
rilitas saepe, caussis cognitis et sublatis, tollitur: difficilior est curatio, si vitium in partibus organicis exterioribus haeret; sin illud in partibus interioribus positum fuerit, prorsus nulla. In pertractandis p. 455.
praegnantium morbis, primo de impraegnationis signis exponitur, postea diaeta grauidarum praescribitur, ac tandem de deprauato earum appetitu, sudoribus, fissuris abdominalibus, integumentis vltra modum expansis, haemorrhagiis vteri, iusto partus termino, partu naturali et praeternaturali, cum viuo, tum mortuo fetu, agitur. Puerperarum morbis an- p. 460.
numerantur haemorrhagia vteri, alui fluxus, tormina, secundinarum eiectio vel extractio, lochiorum profluuium, lactis accessus, lac sanguini remixtum, *lait epanché*, febris miliaris, et affectus hystericus puerperarum. Mammarum morbi inuoluunt earum inflammationem, scirrhum, cancrum denique. Morbi genitalium respiciunt fluorem album, furo- p. 470.
rem vterinum, vteri inflammationem, scirrhum eiusque

que ſequelas, vaginae prolapſum et polypos vteri et
p. 478. vaginae. Grauiditas notha molam carneam, veſ-
cularem, ventoſam, menſes in vtero retentos, hydro-
pem vteri et ouariorum, aliosque horum aeque ac
tubarum fallopianarum morbos complectitur.
p. 483. Sectio ſecunda morbos infantum conſiderat, vbi
generatim quaedam de conditionibus boni lactis, de
iis, quae in infante recens nato peragenda ſunt, de
p. 486. morbis connatis et infantili aetati propriis, praemit-
tuntur, et de coloſtratione ſiue lacte, noua nutri-
cis impraegnatione inquinato, multorum infantis
morborum cauſſa, paucis agitur. Simili ratione fe-
bris, variolae et morbilli, atrophia, hydrops et icte-
rus, lues venerea, ſcorbutus, ſcrophulae tuſſis, vomi-
tus, tormina, alui fluxus, ventris ſegnities, vermes,
tumor et inflammatio abdominis, herniae et vmbilici
procidentia, calculus et iſchuria, ani prolapſus et
haemorrhoides, epilepſia et conuulſio, aphthae, den-
p. 510. titio, hydrocephalus, rhachitis et morbus coxaris
conſiderantur, quo ſub nomine multiplex ille coxen-
dicis affectus intelligitur, qui prae reliquis aetatibus
infantili infeſtus eſt, et claudicationem vel cruris
impotentiam pediſſequam habet, imo plures ſenſim
conficit. Cauſſae eius pariter externae ac internae
ſunt. Saepe crus a ſitu, quem aegri ob dolorem
eligunt, breuius redditur, quamquam ſaepe etiam pro-
funde latens abſceſſus cauſſa huius mutationis eſt.
Spes curationis tantum in principio morbi affulget:
tunc autem naturae ſoli ea committenda: topica
enim reſoluentia humorum affluxui ad partem affe-
ctam magis fauere, quam eundem arcere videntur.
Si morbus diuturnitate grauior redditus fuerit, cu-
ratio difficillima: nonnumquam tamen profuit diae-
ta lactea et corticis Peruuiani vſus, a quo tamen ab-
ſtinendum eſt tuſſientibus, quaecumque eius doſis
p. 512. eligatur. Tandem morbi cutis libri finem faciunt,
nempe

nempe tinea, puris vel saniei per meatum auditorium stillicidium, effera infantum seu quaedam porriginis species, plerumque post ablactationem se prodens, et vix non semper salutaris censenda; partes lotio madidae vel fecibus aluinis conspurcatae, intertrigo seu cuticulae attritio, rimae et fissurae, et morbus quidam exoticus a peculiaribus vermibus, infantum cutim lacessentibus, proueniens, quem alii dracunculum, alii crinones vocant, et quem nullum alium, quam qui comedones apud nos dicitur, esse putamus. Opinioni Cl. Auctoris, hunc morbum vere verminosum esse, ideo veniam largiendam arbitramur, quoniam, vt ipse confitetur, ille climati ipsius plane ignotus est.

Altera pars operis nostri, rem medicamentariam complexa, in duos libros dispescitur, quorum alter remediis internis, alter externis dicatus est. Vtraque iterum in generalia et specialia diuiduntur. Praemittuntur libro vtrique varia, quae remediorum diuersam formam praeparandi et exhibendi modum cet. concernunt. Sequitur recensio medicamentorum emporeticorum, officinalium et magistralium, additis vbique, vbi opus fuerit, commentariis. Remediorum formulae simplicitate inprimis sua se commendant. Breuibus iam, quae prae reliquis attentione digna visa fuerint, indicabimus. Lac ne acescat in ventriculo, exhibenda sunt absorbentia, aut duo vel tria aquae calcis cochlearia vel nonnullae guttae olei tartari per deliquium admiscenda, aut rheo, cortice Peruuiano aliisque amaris, aut demum diluentibus vtendum. Frigidum prodest in aluo ficciore, aut prius amplissimus aquae cyathus hauriendus propinetur. Aluo laxa ferrum candens vel laterculus ignitus in lacte exstinguendus est, vel cortex granatorum eidem incoquendus. Lac equinum asinino

p. 529.

p. 530.

asinino aequipollet. Caprini virtus ob diuersum animalium victum saepius dubia est: nunc enim ad-
p. 531. stringit, nunc laxat aluum. Oleum amygdalarum dulcium minima dosi cum manna coniunctum laxans praestantissimum in ventris imi doloribus, si vel ipsi
p. 532. adsit inflammatio, praebet. In PRINGLII experimentis dubium est, num ea antiseptica, quae substantiarum quiescentium et exstinctarum corruptionem arcent, idem sint praestitura in humoribus viui corporis, et numne a mutatione eorum in digestionis organis
p. 545. vires eorum integrae maneant. Borraginis summus vsus est in morbis acutis pectoris, cuius vices
p. 562. echium vulgare supplet. Bardanae radix a puerperis saepius, nec infelici successu, ad lochiorum flu-
p. 566. xum promouendum exhibetur. Ptisana *Callac* pro summo remedio aduersus luem veneream habita est, et ex radice sassaparillae et mercurio dulci in aqua fontana bullientibus, additis sub finem foliis sennae, seminibus coriandri et alumine, constat. Alia, ab inuentore *Vinache* circulatore, nomen adepta, quantum compositionem spectat, adhuc incognita latet, neque tamen minus ad dolores venereos, rheumaticos, pertinacioresque cutis morbos fauste adhibetur.
p. 571. Cochlearia numquam contundenda est in mortario aeneo, ne liquor vim emeticam contrahat. Vinum antiscorbuticum empirici cuiusdam *Mouret*, cui vinum generosum basin praebet, et quod plantae variae antiscorbuticae et incidentes ingrediuntur, addito in fine sale ammoniaco, multos eosque egregios effectus praestitit, caute tamen macilentis et biliosis exhibendum, nisi adiungantur diluentia et humectan-
p. 577. tia. Ob vim radicum chinae et sassaparillae in dubium vocatam CARTHEUSERVS taxatur. Ptyalis-
p. 609. mus a cinnabari et aethiope minerali excitatus, docet, haec remedia omnino ad sanguinem transferri. Arcanum *Rotrou* ex remediis antimonialibus, quorum

vsui

vſui purgantia fortiora interponuntur, conſiſtit: re-
cte tamen Cl. Auctor monet, hoc remedium plus
aequo compoſitum ſimplicius excogitari poſſe, exu-
lando, quicquid artis circulatoriae a veteribus chemi-
cis inuentor depromſerit. Arcanum corallinum, ſeu p. 610.
mercurius praecipitatus ruber, ſpiritu vini edulcatus,
maximi vſus remedium incidens, depurans, antiuene-
reum dicitur, quamquam hodie paucis notum, ſan- p. 628.
talum citrinum quamuis odore et ſapore gaudeat,
de eius tamen viribus dubitandum eſſe, Cl. Auctor
putat, album vero ac rubrum prorſus e re medica-
mentaria eiicienda exiſtimat. Gallae pro febrifugo
eximio habentur, vbi febris cachexiae ſociatur. Hel- p. 639.
lebori nigri radici ſubſtituitur chriſtophorianae ra-
dix, quae tamen etiam emeticis et catharticis viribus
gaudet. Lilium PARACELSI, tinctura chymica, p. 752.
ex regulo metallorum cum nitro et tartaro in cruci-
bulo praeparata et cum ſpiritu vini digeſta, prima-
tum quaſi ducere inter cardiaca, cephalicum audire
praeſtantiſſimum, diaphoreſin ac diureſin mouere,
ideoque multum commendari in variolis, morbillis,
febribus malignis aliisque mali moris, Cl. Auctor tra-
dit, ſimul vero caute eo vtendum eſſe monet, ne
os, oeſophagus vel ipſe ventriculus eo laedantur.
Opium omnes praeter diaphoreſin ſecretiones co- p. 753.
hibere falſo aſſeritur, cum Auctor contrarium ſaepe
effectum in ſputis, menſibus et lochiis viderit. In
tractatione de cardiacis, anodynis et hypnoticis pau-
ca quaedam de efficacitate muſicae afferuntur, et p. 754.
non tantum PLATONIS locus et nonnulla ex vete-
ri aeque ac recentiori hiſtoria exempla indicantur,
ſed Auctor etiam ſe ipſum per triduum, cum grauiſ-
ſimo morbo decumberet, egregias modulorum muſi-
corum vires, mirantibus adſtantibus, expertum eſſe,
fatetur. Incaute capita papaueris ad internum ex- p. 758.
ternumue vſum ſecundum numerum praeſcribun-
tur,

tur, quum alia eorum vix ad dimidiam drachmam accedant, alia duas pondere ſuperent. Gallii lutei ſummitates contra infantum epilepſiam ſumme prae-
p. 768. dicantur. Gallii albi flores idem valere, experientia
p. 770. nondum confirmauit. Puluis de gutteta, ex variis ſic dictis antepilepticis conficitur, infantibus praeſertim dicatus. Pilulae benedictae FULLERI e croco, myrrha, galbano, aſſa foetida, ſale martis, oleo ſuccini et ſyrupo de arthemiſia componuntur, inter exquiſitiora antihyſterica et emmenagoga referendae,
p. 777. neque vi, aluum laxandi, deſtitutae. Diuturnum ambrae vſum mentis functiones impedire experientia
p. 778. docet. Guttarum aurearum LAMOTHE, quas pro arcano venditauit inuentor, compoſitio, Cl. POTT ſtudio detecta eſt. Diſſolutio auri in aqua regia miſcetur cum oleo aethereo FROBENII; aqua regia ſubſidente, oleum cum inhaerentibus auri ſoluti particulis ſeparatur, et cum ſpiritu vini in balneo arenae per menſem digeritur. Dubium tamen eſt, numne efficacitas huius liquoris potius oleo aethereo, quam auro, adſcribi debeat.

Excerpamus adhuc pauca quaedam ex libro ſe-
p. 801. cundo, medicamenta externa complectente. Salis ſaturni vſus internus non probatur, niſi in furore ma-
p. 820. niaco, vbi tamen camphoram addi iubetur. Globulus martis, haud multis demum abhinc annis celebratus, paratur ex limatura martis et tartaro albo tritis, quibus in cucurbita vitrea ſuperfunditur aqua vitae, cum qua puluis iſte ad ſiccitatem vſque leniter digeritur; id quod pluries repetitur, donec materies ſuperſtes viſcida, globulis conficiendis apta ſit, in quouis liquido diſſoluendis. Puluis ad aliquot grana praeſcribitur, vel integer globulus in aqua agitatur, donec ea colorem ſubrufum acquirat. Vulnerarium et adſtringens remedium eſt, praecipue in haemoptyſi aliisque haemorrhagiis. In vſum externum

ternum tinctura ex eo cum aqua vitae vel vulneraria efficitur, vbi praeter iam dictas vires etiam resoluit; ideoque topicum praestantissimum dici meretur. Nuces cupressi crebrius ad fugandam febrem exhibentur: parum vero huic remedio fidendum est. Agaricus an constringendo haemorrhagiam sistat, dubitatur: obturamenti potius vices gerere videtur. Errant, qui cum CARTHEUSERO sangui nem draconis non dissolui in ventriculo, sibi persuadent: quamquam enim is menstrua aquosa respuit, bilis tamen, saliuae ac succi pancreatici aliam, quam merae aquae, indolem esse, nemo nescit. Cantharides opportune et debita cautione exhibitae, ischuriis pertinacioribus egregie medentur. Aqua mercurialis seu benedicta escharotica, seu solutio mercurii in spiritu nitri, octuplo aquae communis temperata, ad dimidiam vel integram drachmam in ptisanae libris duabus intus et tuto quidem seruatis seruandis, vt videtur, exhibetur. Num mistura Swieteniana citra periculum publici iuris facienda sit? dubitatur. Lana succida ex interioribus ouium coxis egregium emolliens et resoluens in angina spuria et defluxu humorum, quo ceruicis et capitis musculi tenentur, praebet. In depuratione mercurii Cl. Autor haud opus esse arbitratur destillatione, dummodo is in aceto acerrimo, sale marino saturato, ac postea in aqua limpida bis vel ter eluatur, ac demum siccatus per corium vel alutam traiiciatur. Tutius extus admouetur, quam intus sumitur: ne autem saliuationem vel alui fluxum, quippe quibus plus officitur curationi luis venereae, quam succurritur, moueat, impediunt camphorae grana viginti cuique mercurii vnciae addenda, vt ex nuperrimis experimentis constitit.

p. 823.

p. 824.

p. 840.

p. 881.

p. 923.

III.

III.

P. S. PALLAS, Med. Doct. Miſcellanea zoologica, quibus nouae inprimis atque obſcurae animalium ſpecies deſcribuntur et obſeruationibus iconibusque illuſtrantur. Hagae Comitum apud P. van Cleff, 1766. 4. 1 alph. 6½ pl. tab. aen. 14.

Cuius nuper elenchum zoophytorum cum laude indicauimus, Clariſſimus PALLAS, nunc iuſſu auguſtiſſimae Ruſſorum Imperatricis in itinere per meridionales Ruſſiae regni prouincias occupatus, antequam Petropolim adiret, per triennium et vltra in Belgio commoratus, optimam habuit occaſionem, non ſolum corporum naturalium theſauros, in his terris a variis collectos, ſed et animalia in viuario ſereniſſimi Principis Auraſiaci et corpora in ditiſſimo Eiuſdem Muſeo aſſeruata, ſedulo examinandi. Sub quo accuratiore examine cum plura ei occurrerent, quorum vel nulla plane vel imperfecta tantum veſtigia apud Auctores inuenirentur, illorum praecipua in ſcientiae naturalis emolumentum deſcribere, deſcriptionesque illas, figuris illuſtratas, publicare decreuit. Praeſens, quem nunc indicamus, liber, primum faſciculum eorum continet, quem tamen ſecundus nondum excepit. Magnam enim eorum, quae in hiſce miſcellaneis continentur, partem *Spicilegiis* ſuis Berolini editis, de quibus alio loco dicemus, plurimis mutationibus factis inſeruit.

p. 1. Initium operis deſcriptio *Antilopes Grimmiae* facit, qua occaſione de Antiloparum genere in vniuerſum Auctor Cl. diſſerit. Genus hoc recentiores Zoologi cum caprino coniunxerunt, a quo tamen magis, quam ouinum remotum eſt, quod tamen nemo ad caprinum retulit. Medium quaſi hoc genus eſt inter

inter ceruinum et caprinum genus. Differt tamen a priore cornuum perſiſtentium natura, vngularum poſticarum paruitate, cyſtidis biliariae in hepate praeſentia, quae in ceruis deeſt, et defectu officulorum in corde. A capris vero diſtinguntur habitu et pilo ceruino, cornuum directione et maxime figura tereti nec complanata, quam caprarum cornua oſtendunt, ſinus ſebacei ſeu lacrimalis ante oculos praeſentia et dentium inciſorum lateralium paruitate et figura. Hinc omnino ſingulare genus ex iis conſtituendum eſſe, Auctor Cl. monet, eique nomen *Antilopes*, quod iam variis ſpeciebus vulgo datum eſt, imponit. Omnes vero ſpecies, quibus hoc genus componitur, elegantia corporis, membrorum agilitate et alacritate inſignes, in calidiore tantum antiqui orbis parte reperiuntur, cum nullae earum in America occurrant. In vniuerſum autem *Antiloparum* genus Cl. Auctor in *curuicornes, lyricornes, rectricornes, contorticornes, et ſpiricornes* diuidit, omniumque ſpecierum, quas vel ipſe vidit, vel ex auctoribus fide dignis cognouit, catalogum hic inſerit, quem tamen hic omittimus, cum auctior ille iterum prodierit in *Spicilegiis* Auctoris, quae proxime indicabimus. Hinc monemus tantum, Auctorem Cl. demonſtrare ad hoc *antiloparum* genus neque *moſchi* LINNAEI ſpecies *moſchiferam* et *pygmaeam*, neque *camelopardalim* pertinere, cuius animalis rariſſimi characteres, nondum ſatis determinatos, ex ſufferta pelle, in muſeo Leydenſi exſtante, deſcribit. Habet illud dentes octo ſpathulatos, extimo externe profunde bilobo: labium ſuperius integrum: pedum vngulas binas retrorſum productas, cornua pelle tecta et faſciculo pilorum nigro terminata, iubamque ceruicis etc. vt itaque illud hiſce characteribus et forma corporis tota a ceruis, camelis, capris et antiloparum genere diſcrepet, ſuique generis ſit animal. Iam p. 4.

Cl.

p. 12. Cl. Auctor ad ipſum Antilopes ſpeciem, cuius deſcriptionem dare vult, accedit, monetque, foeminam eius excornem olim a GRIMMIO, in Ephemeridibus Academiae Naturae Curioſorum deſcriptam fuiſſe. Marem vero cornutum Noſter in viuario Principis Arauſionenſis obſeruauit, cuius deſcriptionem hic communicat, ex qua ſequentia notamus. Magnitudinem circiter pulli damae bimeſtris habet, et inter congeneres ſpecies elegantiores elegantiſſima habitu, greſſusque leuitate eſt. Cornua rectiſſima ſubulata apiceque ſubcompreſſa ſunt, inter quae flammula, e pilis atris compoſita, aſſurgit. Ante oculos ſinus eſt, e quo materia quaedam ichoroſa, in nigras ſordes dureſcens, ſudat, quam GRIMMIUS, qui illam ad vſum medicum adhiberi poſſe putauit, odore inter moſchum et caſtoreum medio pollere dixit, quem Noſter peramoenum cum vinoſitate quadam hircinum vocat. Caput et collum colorem gryſeum, gula vero ſuperiorque colli pars album habent. Ipſius corporis color antice gryſeus verſus clunes ſenſim in cano-fuſceſcentem tranſit, verſus abdomen caneſcit, ſubtusque tandem albeſcit.

Praef. p. 11.

p. 16. Alterum animalium deſcriptorum *aper* eſt *aethiopicus*, de qua ſingularis formae ſpecie fere omnes Auctores tacent. Aduectus eſt hic ſus e promontorio bonae ſpei, ducentis fere leucis a promontorio, in interioribus Africae captus et vel in iis terris rariſſimus, in viuarium Principis Auraſiaci, in quo laetus adhuc viuit. Agilior multo et viuidior eſt apro noſtrate, quem magnitudine cedit, auditque et odoratu, cuius ope potiſſimum pabulum quaerit, pollet. Caput monſtroſum habet magnitudine et figura ſingulare. Roſtrum enim maximum, latum et depreſſum eſt, ſub quo exiguum os rictu breui latet. Labium ſuperius ad dentes craſſiuſculum lobo pone dentes ſemiouali pendulo angulos oris vtrinque obtegit.

tegit. Dentibus primoribus plane deſtituitur, quo charactere ab omnibus reliquis ſpeciebus huius generis differt. Dentes laniarii ſuperioris maxillae validiſſimi, maximi et recuruati ſunt, cum inferiores longe minores deprehendantur. Oculi in ſummo capite paruulique ſunt, atque ſub iis vtrinque *lobus*, qui *zygomaticus* a Noſtro vocatur, durus, depreſſus, fere horizontalis, parumque mobilis eminet. Setae per faſciculos diſpoſitae ſunt, quorum ſinguli ex quinque circiter ſetis componuntur.

Tertia hanc excipit *Cauiae capenſis* deſcriptio. p. 30.
Primus *cauiae* genus KLEINIUS diſtinxit, BRISSONIUS vero ad *cuniculos* retulit ſpecies, ad illud pertinentes, quas contra LINNAEUS *murino* partim, partimque *leporino* generi inſeruit. *Cauiae* mole et forma trunci ad lepores accedunt, crura vero poſteriora iis breuiora ſunt, hinc inceſſus quoque eorum reptabundus quaſi eſt. Capitis et auricularum figura magis hyſtricibus affines ſunt, quod et de dentibus oreque valet. Pedes antici tetradactyli, poſtici tridactyli, rarius pentadactyli ſunt. Referuntur ad hoc genus a Cl. Auctore, praeter *Cauiam*, hic deſcriptam, *Mus porcellus* LINN. *Mus aguti* LINN. *Cuniculus braſileenſis* BRILL. (an *lepus braſileenſis* LINN.) *Mus paca* LINN. et *Sus hydrochaeris* LINN. ſiue *Capybara* MARCGR. Species, de qua hoc loco potiſſimum agitur, ex capite bonae ſpei allata eſt, cum reliquae omnes americanae ſint, a quibus tamen variis in rebus differt. Cuniculos ſub terra fodiunt, copioſeque ad promontorium bonae ſpei reperiuntur. Dentes primores ſuperiores binos diſtantes, inferiores quatuor contiguos habet, qua in re ab omnibus reliquis gliribus recedit. Color corporis gryſeus et caneſcens eſt.
Addita eſt anatome huius animalis, quod in internis p. 38.
ſuis partibus ab congenerum ſtructura valde recedit. Inprimis vero notari meretur craſſorum inteſtino-

rum fabrica, quae hinc inde in ampliſſimos ſacco dilatata ſunt, coecum quoque vaſtiſſimum eſt. Dorſ vertebras 22 coſtasque totidem aut plures habet, atqu praeterea clauiculis caret, quae in omnibus reliquis gli-
p. 46. rium generibus adſunt. *Taeniam* quoque *vulgarem* in huius animalis inteſtinis, ſpeciemque *pediculi, ca-uiae* propriam, Cl. Auctor inuenit, atque hoc loco deſcribit.

p. 48. Ad *veſpertilionis* deinde, *ſoricini* ab eo dicti, hiſtoriam Cl. PALLAS accedens, primo de veſpertilionum genere monet, pedum primorum dilatationem in alas membranaceas, pollice vnguiculato antico hamatas et poſticis pedibus membrana adnexas, huius generis ſolum characterem conſtituere, illumque, qui ex dentibus deſumitur, incertiſſimum eſſe. Adeo enim vagus eſt dentium primorum numerus, vt, ſi ille tamquam genericus adſumeretur, in quatuor vel quinque genera veſpertilionum genus diſcederet, quod pluribus exemplis hic probatur. Species hic deſcripta, *murino* minor, roſtrum productum, maxillam inferiorem paullo longiorem, naſum foliolo cordato auctum, dentes primores vtrinque quaternos, caudamque nullam habet.

p. 55. Quartum animal eſt *ſciurus*, quem *petauriſtam* Auctor Cl. vocat, quae ſpecies eodem modo, quo *volans*, hypochondriis prolixis volitat, hunc tamen et omnes congeneres magnitudine ſuperat. Rariſſimum eſt animal, in remotiſſimis tantum Indiae orientalis regionibus reperiundum, quod primum, ſi aliqua eius veſtigia, quae apud itineratores occurrunt, exceperis, a Cl. ALLAMAND in epitome BRISSONII, ſub nomine *ſciuri maximi volantis* ſ. *felis volantis*, deſcribitur. Mole circiter cuniculi minoris eſt; caput forma ſciurino globoſius, auriculae paruae; pedes antici tetradactyli, poſtici pentadactyli; cauda corpore longior, villoſiſſima, teres. Membrana inter

pedes

pedes extenſa antice ad carpum vſque pertinet, ibique lacinam quamdam emittit, quae officulo, a tarſo orto, tenditur; verſus hypochondria anguſtatur et poſticorum pedum femora tantum adnectit. Color variat, cum caſtaneo ferrugineus et nigricans in variis ſpeciminibus deprehendantur.

Sexta diſſertatione Auctor Cl. probat, contra BUFFONIUM *) *myrmecophagae* et *didelphidis* genera, non eſſe nouo orbi peculiaria, ſed et in oriente nonnullas eorum ſpecies reperiri. Ita enim *didelphidis* ſpecies, a BUFFONIO ſub nomine *Phalanger* deſcripta, quae caudam prehenſilem habet, orientalis eſt, nec non *didelphidis Opoſſum* LINN. varietas aliqua in oriente reperitur. Quod vero *myrmecophagae* genus attinet, noua aliqua ſpecies hic deſcribitur, ex Capite bonae ſpei allata, quae maxima inter congeneres eſt, cum foetus eius mole porcelli, recens nati, ſit. Caput habet elongatum, auriculas maiores pendulas, pedes anticos tetradactylos, caudamque corpore breuiorem, adtenuatam. p. 57.

Sequitur *gruis crepitantis* deſcriptio, quam LINNAEUS *pſophiam crepitantem* vocauit. In vniuerſum *ardeae* genus, a LINNAEO conſtitutum, a Noſtro in tria, ab antiquioribus iam adoptata, *ardearum, ciconiarum* et *gruum* genera diuiditur, ſingulorumque generum character hic deſcribitur, auemque hic deſcriptam, ad *grues* pertinere demonſtratur. Cicur admodum eſt, ac greſſu, habitu, moribusque gruem aemulatur. Inprimis vero hae aues ſonitu aliquo maxime notabiles ſunt, a quo etiam triuiale nomen, quod LINNAEUS iis impoſuit, deductum eſt. Praemiſſo enim per os ſono rauco et interrupto, bis vel ter repetito, in abdominis cauo reſpondent ſonitu quodam, pluries iterato, columbi prurientis aemulo; non emiſſo per anum, vti vulgo putant, ſed p. 66. p. 68.

*) Vid. *Hiſtoire naturelle* vol. X. p. 144. 279. Comm. noſtr. vol. XII. p. 398. 409.

ab intus concluſo aere, efformato. Origo huius ſonitus, in laryngis ſingulari conformatione latere videtur. Hic enim extra thoracem calami cygnei craſſitiem habet, ad ingreſſum thoracis multo tenuior fit, largiorque, proceduntque ex eo canales duo ſemicylindrici, membrana perfecti, extenſiles. Ex his ſaccus aereus dexter vſque in peluim deſcendit, et in thorace ſeptis membranaceis tranſuerſis in tres vel quatuor cauitates diuiditur. Siniſter vero multo anguſtior eſt et iam in hypochondrio terminatur.

P. 72. Excipit hanc deſcriptionem *aphroditarum* generis hiſtoria, cuius ſub initio varia egregia de molluſcorum ordine in vniuerſum, Auctor Cl. monet. Docet enim pluribus, licet in vniuerſum molluſcorum hiſtoria longiſſime a perfectione ſua diſtet, cum maxima eorum pars nondum detecta ſit, atque in iis, quae cognoſcimus, ſumma varietas obſeruetur; tamen quaedam iam methodi naturalis veſtigia obſeruari. Porro teſtaceorum et molluſcorum ordines omnino inter ſe coniungendos eſſe, cum teſta priorum calcarea acceſſoria tantum nota ſit, qua variae vnius eiuſdemque generis ſpecies a ſe diſtinguntur, variaeque vnius generis molluſcorum ſpecies vel teſtam habeant vel ea careant. Cum vero ex molluſcis tria illa *aphroditarum*, *nereidum* et *ſerpularum* genera ſummam inter ſe affinitatem habeant, licet LINNAEUS ſerpulas ad teſtacea retulerit, Cl. PALLAS ea hic coniunctim proponit, vt characteres ſingulorum generum eorumque inter ſe affinitas magis eluceſcant. Primo itaque *Aphroditae* genus deſcribit. In vniuerſum illarum corpus ſubquadrangulum et in vtraque extremitate obtuſum eſt, totumque velut inſectorum in ſegmenta diuiditur. Penicillis tegitur, ex pilis ſetaceis compoſitis, et praeterea branchias habet, prope penicillos dorſales poſitas. Interna fabrica etiam, vt externa figura aliquam cum

crucis ſimilitudinem oſtendit. Aphroditae omnes per mare liberae vagantur, duplicique ſexu diſtinctae ſunt, cum in nereidibus et ſerpulis, vti in reliquis molluſcis hermaphroditica natura obſeruetur. Prima a Cl. PALLAS deſcripta ſpecies *aculeata* LINN. eſt, cuius vti reliquarum forte omnium, ſyſtema vaſculoſum ſimpliciſſimum eſt. Ex inteſtinis enim colligitur in truncum principalem ſanguiferum, ex quo rami progrediuntur, per reliquas partes diſtribuendi, ita vt motus humorum in iis, cum motu humorum in plantis maxime conueniat. Sequuntur deſcriptiones *aphroditae ſquamatae* LINN. *lepidotae* deinde, *cirrhoſae* et *flauae*, quae nouae ſunt: *carunculatae* porro, quae *nereis gigantea* a LINNAEO dicitur: *roſtrataeque* tandem nondum deſcriptae et *complanatae*, quam BROWNIUS delineauit, cuius figura a LINNAEO *nereidi coeruleae* applicatur, ad quam tamen ex Noſtri mente minime pertinet. p. 89.

Alterum *molluſcorum* genus, a Noſtro hic expoſitum, *nereides* conſtituunt, quas in *vagas*, libere errantes et *tubalicolas* diſtinguit. Pertinent ad hoc genus quoque *ſerpula penicillus* LINN. quae viua hic delineatur: *tubipora arenoſa* LINN. et *teredo lapidaria* EIUSD. Vaſorum ſyſtema in *nereidibus* eamdem, quam in *aphroditis* fabricam habet. Inprimis vero *nereis cylindraria* eiusque duae varietates, capenſis et belgica, *nereisque conchilega* (ita ob teſtam, ex concharum fragmentis compoſitam, dicta,) deſcribuntur. p. 113.

A *Serpulae*, tamquam tertio molluſcorum hic deſcriptorum genere, Cl. Auctor *lumbricalem* LINN. et *anguinam* LINN. remouet, et ad limaces refert. *Serpula arenaria* vero nullo modo a *teredine nauali* differt, niſi in eo, quod non in ligno, ſed in maris arenoſo fundo habitet. *Teredinibus* quoque *ſerpulam*, quae *penis veneris* dicitur, vt *brachionis ſerpulam ringentem* adnumerat. Inprimis vero ſub hac hiſtoriam nouae cuiuſdam ſpeciei, quam *giganteam* vocat, fuſius tradit. p. 139.

p. 146. Vndecima ſectione *lumbricus* aliquis deſcribitur, quem in littore belgico copioſius inuenit, et quem ob duplicem coronam ſpinarum, quibus cauda horret, *echiurum* dicit. Delineatur vero etiam alia ſpecies ex Anglico littore, quam *oxyurum* Noſter vocat.

p. 152. Tranſit deinde ad *actinias*, genusque illud in binas phalanges diſtribuit, *fixas* ſcilicet mollesque et *ambulantes*, corio craſſo et ſubcartilagineo veſtitas, quae ſummam cum *echinis* et *aſteriis* affinitatem habent, ad quas *hydram* BOHADSCHII variaque alia animalia, a variis Auctoribus deſcripta, tandemque nouam aliquam ſpeciem refert, ex Promontorio bonae ſpei allatam, quam Cl. Auctor *doliolum* dicit.

p. 157. Sectione decima tertia animal mirabilis naturae deſcribitur, quod Noſter *taeniam hydatulam*, LINNAEUS vero *hydram hydatulam* dicit. Hydatidum harum viuarum inuentor omnino EDUARDUS TYSON celebrandus eſt, qui eas in *Actis Anglicis*, *No.* 193. deſcripſit, licet varii ante eum auctores, REDI ſcilicet TH. BARTHOLINUS, HARDERUS et PEYERUS eas viderint, qui tamen omnes eas pro vero animali non agnouerunt. Vidit vero TYSONUS in ouis hydropicis et gazellis hydatides, ouum columbinum aequantes, omento adhaerentes, et peritonaei propriis folliculis incluſas, adpendice, vermiculi habitum referente, inſtructas, vitamque euidenti motu prodentes, quas *lumbricos hydropicos* vocauit. Similes fere obſeruationes propoſuit HARTMANNUS, medicus Boruſſus, hydatidesque has vera eſſe animalia minime dubitauit, poſt quem varii quidem Auctores eaſdem obſeruarunt et delinearunt, minime tamen pro animalibus habuerunt. Ipſe vero Cl. PALLAS in diſſ. *de infeſtis viuentibus intra viuentia*, alio loco a nobis indicata *), earum mentionem facit, et nunc vberiorem deſcriptionem, iconibus illuſtratam, nobiscum

*) Vid. Comment. noſtror. Decad. I. Supplement. IV. p. 695.

nobiscum communicat. Inuenit autem has taenias potissimum in suum et ouium peritonaeo, cum in solo animalium abdomine reperiantur, et lanionibus probe notae sint, qui, eas inprimis aestiuis mensibus abundare, perhibent. In saniſſimis aeque ac hydropicis animalibus occurrunt, semperque folliculis membranaceis, inter peritonaei duplicaturas positis, vel e pedunculo vasculoso pendulis, inclusae sunt, in quibus ab omni nexu liberae, paruo humore circumfusae natant, flaccidae et vix vltra dimidium cauitatis, lympha repletae. Singulae plerumque singulis folliculis continentur. Corpusculi magnitudo in plerisque constans est, bulla vero, quae ab eo suspensa est, insigniter variat, cum aliquando nuce iuglande minor, aliquando vero magnitudine ita aucta sit, vt volam manus superet. Nec minus bullarum figura variat, sphaeroideae enim, pyriformes, lanceolatae et transuersim ouales reperiuntur. Bulla vero ipsa sit membrana subpellucida, fibris circularibus annulata et vesicam suillam, in aqua maceratam, quasi refert. Continetur in ea lympha limpidissima et insipida, quae tamen gelatinosi quid continet. Corpusculum in omnibus paruum est, annulatum et retractile, atque ab eo stria gelatinosa, quam chalazam Noster dicit, in bullae cauum procedit. Caput in eo corpore distinguitur, quod rostellum, spinulis coronatum, habet, circa quod papillae quaedam sunt. Viuere vero has hydatides, si in recenter mactatis animalibus disquiruntur, luculenter apparet, siue inter folliculos, ex pellucente peritonaeo confectos, adhuc lateant, siue ex iis exemtae sint, quo tempore bulla manifesto peristaltico aliquo motu agitatur, qui, si acu irritatur, rursus excitari potest. Conuelluntur etiam, si in spiritum vini immittuntur. Addita est descriptio alius *taeniae hydatigenae*, quae in murium potissimum hepate inuenitur, corpusque, inprimis si in aqua tepida maceratur, in p. 168.

insignem longitudinem porrectum ostendit. Qua ratione autem seminium huius taeniae, in intimos et vasculis solis exhalantibus adeundos recessus, telae cellulosae perueniat, Auctor Cl. definire non audet. Minime enim ei illorum sententia arridet, qui vermium semina ex aqua in corpus transferri autumant, vti ex dissertatione eius, de qua alio loco ad Lectores retulimus, patet.

p. 175. Sequitur *pennatularum* biga. Prima ex iis est *pennatula cynomorium* ab ELLISIO in *Actis Anglic. Vol.* LIII. descripta, aliaque *phalloides*, quae plane noua
p. 182. est. Has descriptio *anomiae rubrae* et *disculi*, variorumque tandem *insectorum* excipit. Primum eorum
p. 186. est *cicada*, cuius caput longissimum spinam exserit, supra dorsum recumbentem et quatuor pedunculos, quibus globuli singuli sphaerici, hirsuti insistunt. Hinc *globuliferam* eam Noster dicit. Alterum insectorum est *Acarus marinus* s. *polygonopus* (*phalangium balaenarum* LINN. *pycnogonum* BRUNNICHII.) Deinde varios *oniscos cancriformes* Noster describit, quorsum insecta a LINNAEO cancris adnumerata, *cancrum pulicem* et *locustam* refert, quibus *gammarellum* et aliud insectum, quod LINNAEUS *oniscum bi-*
p. 194. *caudatum* dixit, addidit. Adnexa quoque huic sectioni est duorum aliorum oniscorum (an *oniscus physo-*
p. 196. *des* et *asilus* LINN.?) historia. Vltima tandem sectione *Fucum* quemdam proponit, qui forte peculiare genus constituere posset, quem *anomalum* vocat.

IV.

IOANNIS GEORGII ROEDERERI, Med. et Anat. quondam in vniu. Gotting. Profeſſ. celeb. elementa artis obſtetriciae. In vſum auditorum denuo edidit, nec non praefatione et adnotationibus inſtruxit HENRIC. AUGUSTUS WRISBERG. D. Med. Anat. atque Art. Obſt. Prof. P. Goettingae apud viduam A. Vandenhoek 1766. 8. 1 Alph.

Nouam et tertiam quidem elementorum artis obſtetriciae Cel. quondam ROEDERERI nunc indicamus editionem, libri, de quo olim iam ad Lectores retulimus *), cuius praeſtantia omnibus ſatis cognita eſt. Curam vero nouae huius editionis geſſit Cl. WRISBERG, dignus ROEDERERI ſucceſſor, illamque non praefatione ſolum, ſed et notis quibuſdam auxit, atque praeterea indicem addidit locupletiſſimum. Et in praefatione quidem inprimis B. ROEDERERUM defendit contra iniuſtam accuſationem, in diario eruditorum (*Journ. des Sçav.*) eo loco, quo verſio gallica horum elementorum **) indicatur, prolatam: ROEDERERUM *ſcilicet omnia, quae de arte obſtetricia dixerit, tradiderit et publici iuris fecerit, a medicis et chirurgis Gallis accepiſſe, ſibi adſcripſiſſe,*

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. II. Part. IV. p. 644.

) Prodiit ea ſub titulo: *Elemens de l'art des accouchemens, augmentés des obſervations ſur les accouchemens laborieux: à l'uſage des Etudians en Médecine & en Chirurgie par feu* I. G. ROEDERER etc. *traduits ſur la derniere edition par* M.* *à Paris chez P. Fr. Didot*, 8. 1765. 1 alph. 12 pl. tab. aen. 14. Continet hic liber elementa et obſeruationum de partu laborioſo Dec. I et II. Tabulae aeneae additae, ex SMELLIE tabulis deſumtae ſunt.

praeceptoresque ſuos ſiluiſſe *). Hoc quam abſonum et a veritate remotum ſit, omnes ſatis perſpicient, qui ROEDERERUM eiusque merita, aliqua tantum ratione cognoſcunt, et perpendunt, eum non ſolum Auctores, quorum inuentis vſus eſt, ſemper iuſtis ornaſſe laudibus, et inter hos maxime FRIEDIUM, quem praeceptorem habuit; ſed et neminem ROEDERERUM, ab anno huius ſeculi quinquageſimo ſecundo, quo prima Elementorum editio in lucem prodiit, plagii accuſaſſe; vt taceamus inſignem inuentorum numerum, quo ab hoc ipſo viro ars obſtetricia magis illuſtrata fuit, quae certe Gallicis non debuit Auctoribus. Ex adnotationibus vero, a WRISBERGIO Cl. additis, plurimae ad partus theoriam et ſimilia capita pertinent, pauciores ad operationes ipſumque artis exercitium. Ex vtroque genere multae omni attentione dignae ſunt, variaque Elementorum loca egregie illuſtrant. Huc pertinent ea, quae Cl. WRISBERG de diductione oſſium pubis in partu, de ſitu vteri in embryonibus, de mutatione anguli, quem vterus et vagina, durante grauiditate, faciunt, de cauſſis catameniorum, de diagnoſi febris lacteae a febre continua puerperarum etc. profert.

p. 69. In grauidarum exploratione genas quoque nudo abdomini applicare iubet, cum hac ratione et motus foetus facilius obſeruetur, et ex diuerſo caloris gradu, percepto ope genarum, hydropicus tumor a gra-

p. 77. uido vtero diſtingui poſſit. ROEDERERUM Cl. mucoſos folliculos, circa orificia vteri et in vagina poſitos, icone declaraſſe legimus, cuius tabulae edi-

p. 88. tionem WRISBERGIUS pollicetur. Oua ſic dicta NABOTHI nunquam in recenti vtero adſunt, ſed oriuntur

*) In ipſa dedicatoria ad LEURETVM epiſtola, gallicae elementorum editioni praefixa, laudatur ROEDERERUS tanquam multorum in arte obſtetricia inventorum Auctor.

oriuntur tantum, si ille per aliquot dies in aqua maceratur, tela tunc cellulosa in hydatides intumescente. Vernix, quo embryonis corpus obducitur, non ex liquoris amni sedimento oritur. Totum enim corpus obducit, et circa fontanellam magis, quam in aliis locis reperitur, atque sensim consumitur, vt itaque hanc materiam ex superficie vbique excerni, probabile sit. Occasione litis inter beat. ROEDERERUM et CRANZIUM Cel. excitatae, monet, perforatoriorum vsum omnem minime repudiandum esse, in nostris inprimis terris, vbi chirurgus obstetricans haud raro, aliquot iam diebus praeterlapsis, aduocatur, quo tempore iam perfecta paragomphosis capitis adest, forcepsque nullo modo adplicari potest, quod duplici quoque obseruatione potissimum Cl. Auctor confirmat. p. 89. p. 185.

V.

De melancholia, et morbis melancholicis. Tomus alter, tentamina ad horum curationem complectens. Lutetiae Parisiorum, apud P. Guilielm. Cavelier, 1765. 8. Auctore A. CAROLO LORRY, D. M. P. Alphab. I. plag. 4½.

Eundem, quem in priore tomo* obseruauerat, tractandi ordinem sequuturus Cl. Auctor, imminentis melancholiae et morborum melancholicorum causas auertere, corporis praedisponentem conditionem efficaci arte tollere, ipsumque morbum in ipso exortu suffocare, tandemque etiam symptomatibus prospicere, omni opera annititur. Hinc in parte prima, quae *curationem melancholiae nerueae* tradit capite primo, *de curatione constitutionis, quae reddit pronos ad neruean melancholiam*, agit; atque in articulo 1, p. 6.

dum

*) Vid. hor. Commentar. Vol. XIV. P. IV. pag. 644. seqq.

dum traditur *debilitatis et tenſionis natiuae* curatio, oſtendit Cl. Auctor, natiuam debilitatem arte omnino emendari, atque ſic nerueae quoque melancholiae radicem praecidi poſſe. Fibrarum vero robur augeri, ſi quis ſenſim ab vno ad aliud extremorum cauta deducatur, vt a vehementiſſimo frigore ad aeſtum maximum, a tepida lauatione ad glaciem; ſi ferculorum atque ciborum ipſa diuerſitas doceat, nunc famem pati, nunc vires reparare, eduliis etiam, minus ad ſalubritatis ſtateram comparatis, id quod veterum ars gymnaſtica, quam breuiter deſcribit atque commendat, praecipue praeſtitit. Hinc diaetam, gracilibus debilibusque obſeruandam, vberius proponit, illamque in cibando ponit regulam, ne quis ab alimentorum vſu ſentiatur ſiue caloris, ſiue frigoris ſenſus. Gracile delicatosque prorſus a venere arcendos ſuadet, affectuum animi quoque vires in roborando corpore expendit. Alimenta, fibras proprie roborantia, nulla dari perhibet, et ſic quoque vina auſtera et ſpirituoſa minus laudat, cum aliquatenus quidem, ſi fibrae debili iungantur, roborare poſſint; ſed cum nutritioni obſtent, obſtent etiam actiuitati. Hinc adſtringentia a roborandi methodo prorſus ablegat, quod etiam ſtatuit de cardiacis, analepticisque. Alteram vero per externa medicamenta roborandi methodum, ex veteribus deſcribit atque commendat. Britannorum balnea gelida frigidaque ex parte tantum commendanda eſſe cenſet, omniaque in vnum contrahens, parentum male ſedulorum curam taxat, qui ventis, aëri, gelu exponere pueros timent, et qui vni alimentorum generi ita miſellos aſſuefaciunt, vt ab inſolito vellicatu nullum nanciſcatur robur ventriculus, nullum ſentiat ſtimulum natura.

p. 46. *Acquiſitam* vero *debilitatem neruean*, quae a vitiato partium, ſenſui atque motui dicatarum, tono,

pendet,

pendet, in articulo 2. per mutationes oppoſitas, ſed per gradus ſibi ſuccedaneos, non ſubito tollere ſuadet. Hinc ſoli mutationem tantum praeſtare, et niſi radicibus altis inſederit, raro alia opus eſſe methodo, id quod Anglorum, Pariſios petentium, iuniorumque Alpium incolarum, noſtalgia laborantium, exemplo illuſtrat. Alimentorum, quorum varietatem maxime commendat, reliquarumque ſex rerum non naturalium vitia oppoſitis ſenſim emendanda, maximamque curationis partem inde repetendam eſſe cenſet, monetque, vt leges, quibus aſſueſcere poſſint, et quaſi manſueſcere affectus animi, ſtudioſe perpendamus. Cauſa vero debilitatis acquiſitae deuicta atque ceſ- p. 58.
ſante, fibris, aut nimis tenſis aut atonia laborantibus, robur vel medicamentis vel diſtractione atque diuerſione addendum eſſe, oſtendit. Diſtractio vel diuerſio ita appellatur, quia pars ſentiens diuertitur quaſi atque auocatur ab importuno mali ſenſu. Hinc itinera, ſanitatis ratione ſuſcepta, eorumque commoda, et viatorum tam curru, aut naui, vel equo vehentium, ſeruanda praecepta vberius exponit. Medicamenta ſtimulantia praecipua, vina varia eſſe perhibet. Adſtringentia terrea, e regno vegetabili petita, hic vtiliter adhiberi poſſe oſtendit, mineralia vero, excepto marte, omnia cum antimonio reiicit, licet illum gracilitati fibrarum minus conducere, phthiſicisque nocere, concedat. Contra *debilitatem* p. 79.
nerueam, in variis partibus deliteſcentem, in appendice oſtenſis primum remediis, ex veterum arte gymnaſtica petitis, recentiorum ſaltationem, artem gladiatoriam, deambulationem, geſtationem, equitationem commendat, paruumque in debilitate partium medicamentis locum eſſe concludit.

In capitis ſecundi articulo 1 *de curatione cauſſarum* p. 90.
melancholiae nerueae, aeris ariditatem tam vitare, quam emendare, effectibusque illius, ſcilicet rarefactioni et exſiccationi,

exſiccationi, victu humido, acido, denſante, ſtyptica mederi ſuadet. Si a liquido, intus retento, orta ſit illud euacuantibus per hirudines, fonticulos, ſetacea veſicantia educendum; venena vero inuiſcantibus laxantibus mitificantibusque compeſcenda eſſe. Hinc ſi a lue venerea nerui patiantur, mercurius, nerui certe irritandis alias aptiſſimus, in medicamentum
p. 97. vertatur. Contra impetum vero cauſſarum cum patentium, tum latentium, pectus obduretur, quod deuerſione ſenſuum et mentis optime eſt peragendum, ſenſum vero narcoticis vel inebriantibus retundere velle, non perinde vtile eſt. Omnibus caeteris animi affectibus, praecipue vero enthuſiaſmo, atque illi conuulſionum generi, quod ex aliorum imitatione contrahitur, medetur terror. In concitandis vero illis animi motibus ingenti artis prudentia opus eſſe, ne fibrae illico, et omiſſo medio in oppoſita abreptae trahantur. Metuentibus metum, maiore metu incuſſo, diſcutere velle, periculoſum, feliciorem vero methodum eſſe iudicat, qua ab ideis cruciantibus diuertatur, id quod ſcientiarum ſtudio, corporisque ad veterem morem exercitio, et muſica arte optime perficiatur. Hinc in appendice, *de muſicae ad ſanandam melancholiam effectibus*, praemiſſa eius hiſtoria, oſtendit, ſonum, licet aurem videatur ſolam afficere, ab eo tamen in aliis partibus etiam vibrationem emicare poſſe; triplicem igitur ſtatuit muſices effectum, 1) quo animi effectus concitare, 2) motus animi impotentis ſedare atque compeſcere, et 3) regularem in fibris atque ſenſibus concuſſum et fibrationem concitare poſſimus, id quod α) ex furore bellico, equisetiam ab inſtrumentis militaribus afflato, β) ex ſaltatione, in melancholiae curatione duplici titulo commendabili, et γ) ex Dauide, Saulum per cytharae cantum compeſcente, pluribusque aliis exemplis illuſtrat.

Prima-

Primariorum melancholiae nerueae effectuum curationem ni articulo 2, et quidem 1) tenſionis *melancholicae* tradens, hanc in priore et ſimpliciore morbo ſemper laxantia, pro morbi gradu varia, et in rupturae metu, ante alia omnia venaeſectionem exigere arbitratur. Poſteriorem vero morbi ſpeciem, vix extra paroxyſmum, in ſumma autem acceſſus vehementia, ſaepe venaeſectionem, moderatam tamen, ferre et poſtulare; extra furorem erethiſmi autem ſaepe roborantibus debellari, imo et inſtaurantibus atque cardiacis cum victu, tum pharmacis prorſus fugari. Per laxantia vero intelligit ſolam aquam leni mixtam mucagine, v. g. decocta foliorum graminis, lactucae, betae etc. Hinc melancholia nerueа laborantibus victum imbecillimum ſuadet, ieiunia vero diſſuadet. Paucum vinum oligophorum aquae mixtum concedit, coffeam vero, chocolatam cane et angue peius habendam, nec Sinenſium theae fidendum eſſe arbitratur. Melancholiam in corpore minus praediſpoſito, a cauſa vehementi, vt eſt animi affectus vehemens, natam, ſolis diluentibus tolli poſſe, illam vero, quae a natiua conſtitutione pendet, vix auxiliis his auſcultare. 2) *ſenſuum ſymptomata*, ſcilicet 1) intenſam tantum ſenſuum acutiem, 2) ad delirium vſque imminens auctam, 3) peruerſam ſimul vel a leuibus initiis ad ferociſſima deliria vſque perductam, curaturus, primam, ſi ſubito acceſſit, ſenſuum erectione et a terriculamento auocatione et auerſione, vel etiam in primo inſultu ſtimulantibus aromaticis, reinctam vero ſanguinis circulationem, venaeſectione mature inſtituta tolli poſſe arbitratur. Quodſi vero cauſa ſubito inuadens longam ſui notam inuſſerit, diuerſionem per ſopientia, auocantia, diſtrahentia, occupantia imo et antiſpaſmodica ſibi repoſcere, quo et muſices effectus et ſpectaculorum varietas pertineant. Anodyna et ſoporifera laxantibus et diluentibus

p. 119.

p. 126.

luentibus iuncta, tam ſanatiuae, quam palliatiuae curationi ſatisfacere. Opium enim, ſi gradus mali immodicus, aegerque in interuallis ſanus ſit, et ſenſu licet immodico, functiones tamen parum a natiuo tono deſciscant, ſi denique patentes atque liberae ſint viae, per quas vacuatio altera alteri ſuppleat, tuto vſurpari poſſe, foetidaque gummi v. g. aſſam foetidam, caſtoreum, myrrham, verum eſſe conuulſificae opii proprietatis antidotum; moerori vero, moeſtitiae lentisque animi affectibus cardiaca illa mederi, ſiue ſola, ſiue opio iuncta. Ad motus animi melancholicos compeſcendos, vinum quidem primas obtinere, illo autem nequaquam abutendum eſſe; omnibus enim melancholiae nerueae cauſſis, atonia ſola excepta, nocere; hinc tonici potius, quam narcotici titulo vſurpandum eſſe. In vehementiſſimo vero melancholiae nerueae gradu, caute cum venaeſectione agendum, prodeſſe potius laxantia, praeſertim balnea, et fortaſſis etiam gelida illa, quae non tantum diluant, ſed et
p. 140. roborent fibras, 3) *Motus ſymptomata ſublaturus* differentiam inter ſenſus conſopientia et antiſpaſmodica oſtendit, eaque corpora eſſe dicit, quae etſi cauſam occaſionalem non attingant, ſpaſmum tamen tollant. Animale vero regnum tollendis illico ſpaſmis proprie dicatum eſſe perhibet. Alteram vero antiſpaſmodicorum claſſem, quae plus roborando, quam ſpaſmo compeſcendo profit, ex vegetabilibus, volatilitate ſua aliquatenus naturam animalem aemulantibus, conſtituit, in ſubito inſultu tamen vix aliquid praeſtare, morboque potius mederi, quam paroxyſmo. Radicem valerianae ſylueſtris fibris tenſis atque gracilibus nocere, et prodeſſe tantum in ſpaſmis, quae fibras debilitando, nouam erethiſmo occaſionem praebeant, nullumque eſſe remedium, quod in omnibus aeque caſibus vſurpari poſſit, praeter oleum animale DIPPELII, quod omnem paginam adimple-

adimpleret, niſi gracili atque tenſae noceret fibrae, phlogoſinque inducendo, ſaepe haemorrhagiam acceſſeret. 4) *Contra atoniam melancholicam*, praemiſſis quibuſdam cautelis, liquorem aethereum, ex vitriolico acido paratum, commendat. Vehementiſſima vero antiſpaſmodica, roborantia, ex vegetantibus gummi foetidis, herbisque aromaticis petita, euidenti atoniae competere, praecipue vero martem, vina chalybeata, aquasque minerales, inter quas Spadanae principatum obtineant.

In articulo 3 *conſenſum et repugnantiam melancholiae nerueae cum remediis vacuantibus expendens*, p. 153. 1) *venaeſectionem* in paroxyſmis ſaepe adhibendam, quin imo, vrgente neceſſitate, iterandam eſſe, non dubitat. Quodſi vero mulieres ante paroxyſmi tempus iam debiles et exhauſtae fuerunt, eandem nullatenus iuuiſſe, et nocuiſſe aliquando, ſi ab atonia motus ſpaſmodicus pependerit. Extra paroxyſmum autem non adeo prodeſſe, niſi ſingulares circumſtantiae illam exigere videantur. 2) *Vomitum* e contrario *et catharſin in melancholia neruea* ſemper nocere perhibet, et cum illis proprium ſit, vt irritando agant, hoc ſolo titulo a cura melancholiae nerueae exulare debere. Quodſi vero primarum viarum ſaburra haec exigat, cathartica aromaticis et antiſpaſmodicis, etiam fortiſſimis, mixta, feliciſſimo cum ſucceſſu exhiberi poſſe.

In articulo 4 *de efficacia remediorum quorumdam*, p. 164. *in melancholia neruea ſpecificorum*, agens, 1) *Kinam Kinae* toties exulare debere arbitratur, quoties tenſio, aut ad tenſionem diſpoſitio adſit. In atonia vero et morbis ſpaſmodicis, periodice recurrentibus, expenſis pro et contra rationibus, cortici huic omnino fauere videtur Auctor. 2) *Balneorum ſimplicium* frigidorum *vſum* in atonia, tepidiorum vero in toni augmento conuenire poſſe. Cum vero haec in atoniae

riae metu, illa ſpaſmis praeſentibus noceant, raro admodum locum reperire poſſe iudicat, ſi tamen in tepida immerſione peccandum ſit, frigidulam adhi-
p. 173. beri mauult, quam calidiorem. 3) *Diaetae* tandem *lacteae vſum*, in vera fibrarum debilitate, a gracilitate atque tenſione pendente, non ſolum nutrire, ſed et roborare poſſe. Quotiescunque vero atonia fibrae peccent, vel ſymptomatum cauſſa in peruerſione toni poſita ſit, nocere, hinc diagnoſi ſeuera opus eſſe, vt caſus illi dignoſcantur, in quibus lac vel opem ferre, vel nocere poſſit. Quae omnia, huc vſque generatim dicta, in *corollario*, *methodum therapeuticam in variis melancholiae nerueae ſpeciebus exhibente*, ad caſus ſpecialiores adplicat, exemplisque illuſtrat.

p. 183. *Affectionem hyſtericam et hypochondriacam* in capitè 3. §. 1. duce SYDENHAMO, antiſpaſmodicis, cortice Peruuiano, limatura martis, equitatione, et gymnaſtica rite inſtituta, additis quibuſdam cautelis, ſubleuare et abigere tentat. 2) *In maniae verae nerueae curatione*, ſemper attendendum, vtrum a tono auctо atque intenſo fibrarum ſolum dependeat, an etiam atoni quid lateat? Vehementiſſima illa, quae volatili fragrantia neruos ſedare videntur, hic raro locum inuenire, ſed moderatioribus ſemper vtendum eſſe. Quodſi vero ab immodica et ſubita debilitate pendeat, per cardiaca roborantia fugari, venaeſectione, purgantibus et ſudoriferis immedicabilem reddi. Intermittenti vero maniae, itinera, equitationes et animi diſtractionem magis conducere, et in caſibus quibuſdam efficaciam corticis Peruuiani ſentiri ſalutarem. 3) *In conuulſiuo morbo ſanando* ſi paroxyſmus vehemens ſit, poſt venaeſectionem vehementiſſima, ex animalibus petita, antiſpaſmodica, commendat. Extra paroxyſmum vero vel laxantia vel antiſpaſmodica, balnea frigidiuſcula et praeparata martialia ſuadet. Tremores vero, ſubſultus tendinum,

dinum, ſi a debilitate pendeant, roborantibus abigere tentat.

Morbos vero, *a melancholia degenere pendentes*, et quidem 1) *febrem lentam nerueam* ſecundum tripli- p. 192.
cem originem et cauſam, 2) *tabem* vero *nerueam*, modo ſuppuratio abſit, nutrientibus, diluentibus, laxantibusque, atque diaeta lactea, equitatione et frictione, pro re nata curari, antiſpaſmodicis autem hic nullum pretium eſſe, oſtendit. 3) *Paralyſeos* autem et *hydropis curationem*, ex notis atoniae et colluuiei ſeroſae indicationibus inſtituendam eſſe, ſi miſceatur cum illis non parcus, ſed fortis antiſpaſmodicorum, validius cardiacorum vſus.

In partis ſecundae capite 1, *de melancholiae humo-* p. 205.
ralis, et quidem *illorum curatione*, *qui ad melancholiam humoralem praediſpoſiti ſunt*, Cl. Auctor ſpiſſitudinem ſanguinis inflammatoriam, pro remotiſſima melancholiae cauſa declarans, omnia remouenda ſuadet, quae, dum tenuiores fluidorum particulas auferunt, ſanguinem denſant in ſolidiorem maſſam, eumque exſiccant, omnesque, ſola ſanguineae ipſius rubrae partis excepta, vacuationes damnat. E contrario aerem purum, leuiter humidum, campeſtrem, victum ſimplicem humectantem, ex cerealibus bene fermentatis et tenuioribus carnibus, ſummam et corporis, et animi quietem commendat. Vetat caput ſoli exponere, vt et vigilias, veneremque. Commendat cum BOERHAAVIO ſapones, vegetabiles v. g. acetoſam, lactucam iuniorem cet. fructus horaeos, et praecipue mel (atque huic affine ſaccharum), quod cum aqua multa dilutum et ſero lactis admixtum, maximopere laudat. Ad ſolidorum vero erethiſmum et atoniam abigendam, poſt humectantem diaetam tonica aut antiſpaſmodica conueniunt. Acidulas quoque plurimum commendat, interdum tamen,

vbi v. g. melancholia neruea abiit in humoralem, antiſpaſmodicis poſtponendas aut iungendas. Item de balneorum vſu ad praecauendam melancholiam,
p. 233. ſic dirimit, vt ſubfrigida conducere, tepidiora vero atoniae nocere iudicet, optetque, illa ad veterum morem iterum introduci. Cathartica contra, tanquam noxia damnat. Vino, melancholiae, ex animi affectibus imminenti, medelam quaerere damnat, niſi leuius ſit, et plurimae adhuc aquae permiſceatur. In lacte, lacteaque diaeta commendanda, omnia ſummopere penſitanda ſuadet, cum pauciſſimi illud ferant, et cum lactis inſipida dulcedo, atoniam praeter modum augeat.

p. 239. In capite 2 *de curatione cauſſarum variarum, quibus melancholia intra corpus introducitur.* A lymphae, quaſi ſpontanea alteratione aceſcentis, corruptela pendentem melancholiae ſpeciem, iunioribus imbellibus feminis, praecipue puerperis, longo tamen a puerperio tempore, frequentem, leuiora requirere remedia, magisque ſaponacea, imo morbum ſibi ipſum criſin et exitum facere, per vlcuſcula, in fundo nigra, immenſam vim liquidi depluentia, a quo ipſa terrea appoſita emplaſtra, ſalino inſtar imbuta tabo *friabilia* euadant. Hinc lymphae vitio ſudorifera lenia conducere, fomentis externis ad cutis organa determinanda, ſaepe enim cutim ſub eorum actione papulis et tuberculis magis magisque deturpari, quae criſis optima ſit, poſtea vero alcalium leuium parcam doſin, et aquas minerales curam complere. Nec martem ipſum non profuiſſe, ſuſpenſa doſi et attenta manu exhibitum. Acidum intra lympham, a lue venerea admiſſum, per mercurialia ſanari. Si a lymphae acris vitio, v. g. ab herpete, ſcabie retropulſa, orta ſit, remedia his vſitata, vel ſcabiei inſertionem iuuare. Triſtibus vero moerentibusque ſemper ſpem et fiduciam addendas, choreas, ſaltationes

nes aut ſaltem deambulationes ſuadendas, aluum liberam ſeruandam, omnesque excretiones ſine vi augendas eſſe. Lenta et ſoluentia eccoprotica v. g. oleum ricini, mannam, caſſiam, tamarindos, inprimis vero epithymum laudat et maximopere commendat. Quod ſi vero melancholia vitiis hepatis atque lienis adſcribenda ſit, tardato per venam portarum circuitui, ſaepe, miraculi inſtar, mederi venaeſectionem; reuocatas haemorrhoides, aut ab hirudinibus per artem prouocatas, morbi cauſam penitus ſuſtuliſſe, balnea, ſemicupia curam perfeciſſe. Morbi tandem materia penitus exacta, roborandis viſceribus illis, aquarum martialium vſum concedit. Purgantia autem, ex aquis mineralibus ſoluentibus petita, palmam omnibus, ab antiquitate commendatis, praeripere. Et cum veteres, ſpleni laborantibus poſt longa remediorum taedia, lactis aſinini vſum conſecrarent, Cl. Auctor e contra lac, ob vappidam bilem, fatiſcentesque digeſtiuas vires, valde metuendum credit.

In capite 3 *de curatione melancholiae humoralis, ſeu ipſius morbi* articulo 1: *qualem veteres deſcripſere.* Medendi methodos, ab HIPPOCRATE, ARETAEO, GALENO, ALEXANDRO TRALLIANO, ORIBASIO, CAELIO AURELIANO, AVICENNA, PARACELSO, SENNERTO, propoſitas, recenſet, comparat, mirumque dein inter omnis aeui, omnis ſectae medicos, ad curandam melancholiam, conſenſum, STAHLIO, FRID. HOFFMANNO, BOERHAAVIO et SWIETENIO, nequaquam omiſſis, oſtendit, et in appendice *de veterum helleboriſmo* agit. Hellebori antiquiſſimam famam, deſcriptiones, diuiſiones, ſolum natale optimum, praeparationis efficaciam, diſſenſum auctorum, circa helleborum nigrum eiusque notas, virium diuerſitatem vtriuſque hellebori, fata, vſum, GALENI tempore iam reformidatum et euileſcentem, poſteaque prorſus abolitum, a GESNERO ve-

p. 259.

p. 288.

ro et MAYERNE quodammodo reſtitutum, exhibendi methodum et doſin, in variis formis variam, cautelas, quibus exhiberi poſſit vel non, recenſet, et
p. 313. refert, ſe ipſum ex malo, cui drachma vna imo et altera veratri albi inditae erant, ante focum cocto, ſaccharoque, poſt veratri exemtionem, condito, mira quidem ſymptomata, aſt magnum etiam leuamen
p. 317. obſeruaſſe. Atque ex his omnibus concludit, ineſſe helleboro vtrique vim ſpecificam, qua morbos melancholicos, praeſertim, ſi cerebri arcem obſederint, profligant, atque aut vacuando, aut corpus immutando prorſus ſanent. Tandemque STOERCKIUM prouocat, vt hellebori vſum noua arte per experientiam iterum introducat.

p. 321. In articuli 2 §. 1. *de melancholiae humoralis vniuerſalis curatione*, ob acorem in vniuerſali hac melancholia non adeo manifeſtum, craſſitiei vero humoris melancholici ſummos aliquando effectus, cum veteribus initium faciendum eſſe ſtatuit a venaeſectione, quam in vehementiſſimo, apud nos vero raro, gradu iterandam ſuadet, cum frictionibus, diluentibus, tepidis leniterque tonicis plantarum infuſis. Progreditur dein ad rectam ſex rerum non naturalium adminiſtrationem. Medicamenta vero aduerſus melancholiam, ipſo veratro non excepto, ſoluentia eſſe, ſi tamen et ſeſe rebellem et vix ſoluendam demonſtrauerit, tunc corpora ad purgationem praeparanda eſſe, balneis ſimplicibus tepidis cet. quorum ſic feliciter reſtitutorum varios caſus ſubiunxit. Si vero in inueterata, iam ſolidorum tonus collabatur, tunc potentiſſima ſoluentia v. g. helleborum album atque nigrum adhibenda eſſe, vtpote antimonialibus, mercurialibus et antiſcorbuticis longe praeſtantiora. Imo ſi renuat morbus, modo propoſitis cedere, mutandum eſſe prorſus habitum corporis. Lactis aſinini et foeminei vſum iis, quibus

bus primae viae liberae ſint, vtilem eſſe poſſe, vaecini non perinde. 2) *In melancholia humorali hypochondriaca curanda*, hirudines venaeſectioni praeferendas eſſe cenſet, optimo vero cum ſucceſſu adplicari, poſt praegreſſam e brachio venaeſectionem. His ſuccedant diluentia, ſoluentia, interpoſitis manna cet. vel etiam aquis mineralibus, helleborus niger, variis ſoluentibus mixtus, et tandem morbus bilisque meraco helleboro expellatur. Aromatica purgantibus draſticis addita, non ſolum tormina et nauſeoſam purgantium indolem praecauere, ſed et illorum virtutem purgantem adaugere atque extollere. Aperientia amara, ſalina, aquasque minerales frigidas, praeſertim Spadanas, reliquum curationis abſoluere, reditumque morbi praecauere. 3) *In melancholiae, caput occupantis, curatione*, per venaeſectionem ex inferioribus partibus ſanguinem ſubito, magna quantitate ſimul educendum ſuadet, vt faciei pallor, depleri etiam interiora vaſorum cerebralium, arguat. Vomitoria potentiora, ipſo veratro non excepto, pluries repetita, et fortiora cathartica conducere, ſomnum protractiorem, opiataque omnia nocere, caute balnea adhibenda eſſe, embrocationes frigidas, quae ex alto in caput ipſum fiant, caeteris antecellere. Cautela tamen, ingentique arte opus eſſe, ne mors inopina inſequatur, vt Cl. Auctor bis vidit. Balnea frigida enim fere nunquam profuiſſe obſeruauit, niſi inſania a mera ſanguinis rarefactione et humorum orgaſmo pendere viſa ſit. 4) *De curatione humoris melancholici in varias partes decumbentis.* Si per aluum exitum moliatur, vias lubricantibus mucaginibus demulcendas; in anthrace et cancro, ſphacelum et ſiderationem intentante, omnia molienda, vt a partibus nobilioribus in ignobiliores transferatur criſis, cauteriorum et veſicantium applicatione, cortice Peruuiano et poſt eius vſum caeteris antiſepticis

p. 350.

p. 362.

p. 370.

pticis quibuscunque. Si humor melancholicus cu-
tem infeſtat, curam inſigni ſucceſſu peregiſſe, Auctor
vidit ſemel, frictionibus mercurialibus lente atque
ſenſim exhibitis, fruſtra tamen in aliis caſibus ten-
tatam.

p. 378. In capite 4 articulo I. §. 1. *contra affectionem hy-
ſtericam humoralem*, laxationem vaſorum et humoris
mitificationem, nec non cathartica ſuadet, ſin vero
morbus per nigrorum excretionem non ſoluatur, in
p. 381. cancrum vteri abire. Sic quoque 2) *contra maniam
melancholicam humoralem*, laxationem vaſorum, fri-
ctiones, ſerum lactis commendat, de catharticis am-
bigit, balnea frigida valde ſuſpecta reddit, et tartā-
rum ſtibiatum, niſi in helleboro ſpecifica vis lateat,
caeteris omnibus anteponit. Nec videt Cl. Auctor
p. 396. articulo II. §. 1. *In hydropis, melancholiae humorali ſu-
peruenientis, curatione*, quid arti ſuperſit peragendum,
ſi helleborum, forſanque et ſcammonium excipia-
mus, ſuccos tamen plantarum diureticarum et ſalia
p. 400. neutra commendat. 2) *In curatione phthiſeos, quae
melancholiam humoralem excipit*, ſomni efficaciam ma-
ximam eſſe cenſet, opium igitur adhiberi non vetat.
Satius vero arbitratur ſomnum conciliare lenibus
anodynis et refrigerantibus, potentiſſime vero vſu
lactis tenuiſſimi, aſinini ſcilicet aut feminei. 3)
p. 403. *de melancholiae motae curatione*, totam ſpem in ſpha-
celo repoſitam eſſe, cenſet, cui cortice Peruuiano
obicem ponere, ſi fieri poteſt, ſtudendum eſt.

VI.

ANDREAE LEOPOLDI HAAN, Ordinum Styriae Physici Graecensis, Inclitae Facultatis medicae Vienn. et societ. Styr. ad promouendam agriculturam membri, libellus, in quo demonstratur, quod non solum vegetabilia, animalia, et mineralia, menstruo simplici paucis horis possint solui, verum etiam extracta purissima et salia essentialia educi. Vindobonae, typis Ioan. Thomae de Trattnern. 1766. 8. Pl. 4.

Cum ex methodo Ill. Comitis DE GARAYE, qui in machina sua trituratoria, ex trium regnorum simplicibus, aqua simplici salia educere docet, haec in virtute non mutata, sed sapore semper, saepe etiam colore et odore simplicis praedita, animaduerteret Cl. Auctor, varias autem in ista methodo, alias laudanda, difficultates cognosceret, aliam methodum, solutiones corporum instituendi et ex iis extracta purissima et salia essentialia parandi, excogitauit, qua obseruata idem, quod in methodo Garayana post vnum alterumue diem praestabatur, non solum paucis horis obtinuit, sed etiam multa, quae alias fieri non possunt, fieri posse, deprehendit. Hanc itaque methodum communicat Noster, primoque machinam et reliquam supellectilem, ad hunc laborem necessariam, describit, posthac autem experimenta, quaecum corporibus trium regnorum instituit, breuiter recenset.

Machina, in qua experimenta instituit Noster, ex p. 9.
orichalco facta et eadem est, quam PAPINUS olim inuenit, putatque Cl. Auctor, tantam fieri a calore, aqua et aere in subiectam materiem actionem, vt eius pori minimi penetrentur, partes componentes disiungantur, et menstruum sibi salia et olea sociare

 possit,

poſſit, terram vero relinquat. Oſtendit quoque, hac methodo ſolutionem cito perfici, nihil quid. quam amburi, nihil perdi de aromate, et totam tamen e corporibus elici ſubſtantiam; quod variis experimentis probare annititur.

p. 17. Primo experimenta, cum quibuſdam corporibus regni vegetabilis inſtituta, communicat; ex rhabarbari nimirum vncia ſecundum methodum deſcriptam extractum, colore, odore, ſapore rhabarbari praeditum, pondere drachmarum 3 et granorum 23, ex drachma autem et granis 42 extracti, drachmam vnam et grana quatuor ſalis eſſentialis obtinuit, quod aquam ex aere attrahit, in cella in oleum deliqueſcit, in aqua ſoluitur, in pollinem tritum, colorem rhabarbari refert, colore flauo, ſapore vero amaro ſubdulci, et odore magis grato, quam in extracto, praeditum eſt. Reſiduum ab aqua non ſolutum et exſiccatum, paruam portionem reſinoſae ſubſtantiae dedit. Pari ratione corticem Peruuianum, lignum guaiacum, abſynthium, cicutam, flores chamomillae romanae et myrrham, experimentis ſubiecit, et extracta, virtutibus ſimplicium praedita, obtinuit. Sub finem horum experimentorum corollaria quaedam ſubnexuit, quibus oſtendit, 1) decoctionem in machina, ex aurichalco fuſa, pro vſu medico ſuſpectam non eſſe, ſique plantae, guſtu acidae aut alcaleſcentes coquendae ſint, ferream eligendam, ſique haec ſuſpecta ſit, Garayanam inſeruire poſſe; 2) virtutem vegetabilium non mutari in virtute ſimplici propria; 3) medicamenta ſic parata facilius effectum ſuum praeſtare; 4) terram, ab operatione reſiduam, non pertinere ad virtutem ſimplici propriam; 5) hancque terram, corpori ingeſtam, ſaepe noxiam eſſe poſſe; 6) decocta et extracta, hac encheireſi parata, praeferri debere decoctis et extractis pharmacopoeorum, quod nihil de virtute perdatur; 7) tinc-

ſturas, eſſentias, balſama artificialia liquida, ſyrupos, ſi alia in vſum vocentur menſtrua, hac methodo quoque fieri commode poſſe.

Pari ratione in machina ſua cum partibus qui- p. 36.
buſdam animalium, cum carne nimirum bubula, cum cranio humano, capillis humanis, cornu cerui et lapidibus cancrorum experimenta inſtituit Noſter, et ex carne bubula aquam, ſucco animali valde impraegnatam, ſaporis leuiter adſtringentis, ex cranio humano ſolutionem rubellam, ſapore ſalino praeditam, hacque euaporata, ſal coloris ſubrubentis, ex capillis humanis itidem ſal et aquam foetidam, ex raſura cornu cerui ſolutionem, ſaporis leuiter adſtringentis, qua ad ſiccitatem euaporata, fruſta pellucida, in aere libero diu relicta, aquam attrahentia, linguamque leui quadam acrimonia pungentia, ex lapidibus cancrorum vero nihil fere obtinuit. Ex his itaque Noſter colligit, ſalia animalia aggredi aes, neque tamen videri noxiam corpori humano paucam hanc quantitatem ſoluti aeris; digna porro videri ſalia haec, inprimis ſal cranii humani et capillorum ſimplex et aquam capillorum foetidam, atque cum odorem empyreumaticum deprehenderit Noſter, interdum quoque corpus, cum aqua in machina coctum, amburi poſſe, colligit; lapidibus autem cancrorum ob id, quod nihil dederint, nullam virtutem diaphoreticam, temperantem aut refrigerantem ineſſe, monet.

Tandem quoque cum quibuſdam corporibus re- p. 48.
gni mineralis, cum auro nimirum, cum marte, cum antimonio et coralliis rubris, experimenta inſtituit Cl. Auctor, aurumque cum aqua, in machina ſua coctum, aquam dediſſe, qua euaporata, ſoluti auri quidquam relictum fuiſſe, notat. Cum vino generoſo coctum aurum ſolutionem coloris aurei dedit, aurum vero, ab operatione reſiduum, de colore ſuo aureo multum

tum amiſiſſe, colorisue fere cuprei, cum flaccis nigris intermiſtis, fuiſſe, perhibet. Ferrum, cum aqua coctum, ſolutionem dedit, quae euaporata, ſal flauum, ſapore amaro et odore ſulphureo dedit, cum vino autem coctum ferrum, tincturam ex albo flaueſcentem, odoris gratiſſimi, liquori anodyno non abſimilis, et ſaporis ſubdulcis, adſtringentis, exhibuit. Antimonium in machina aurichalcea coctum, ſal dedit nauſeoſum, quod a Cl. Auctore deguſtatum, ei conatus vomendi excitauit, in ferrea autem machina coctum, itidem ſal exhibuit, quod pro vſu medico non obeſſe, Noſter putat. Tandem corallia rubra, quae cum aqua cocta nihil dederunt, vinum, calore flauo leuiter tinctum, praebuerunt, corallia autem minus rubra fuerunt. Itaque virtutem, quae in metallo quaeratur, in his tincturis contineri, martisque tincturam deſcriptam effectus, qui marti adſcribantur, feliciter edere, corallia autem non eſſe puluerem mere abſorbentem, Noſter colligit.

VII.

Neruorum primi paris hiſtoriam, grauiſſimi medicorum ordinis indultu pro licentia, doctoris gradum petendi d. 6 Aug. 1766 ſolenniter defendet IOHANN. DANIEL METZGER, Argentinenſis. Argentinae apud Chriſtmann et Levrault. 4. pl. 5.

Cum Cl. LOBSTEINIUS auditoribus, mixtam nerui olfactorii e cortice et medulla cerebri ſubſtantiam demonſtraſſet, Auctor huius diſſertationis Cl. vlterius in hanc rem inquiſiuit, hiſtoriamque eorum, quae de hoc neruo, varii omnis aeui auctores, tradiderunt, collegit. Enarrantur itaque primum chronologico ordine variae opiniones, quae a GA-

p. 3.

LENO

LENO ad noſtra fere tempora a variis circa horum neruorum naturam et vſum prolatae fuerunt, cum alii hos neruos verum olfactus organon eſſe aſſumerent, alii eos muci potius excretioni vel aliis vſibus inſeruire putarent; quae cum omnibus fere nota ſint, ſicco pede tranſimus. Deinde ortum horum neruorum vlterioremque ad nares progreſſum accuratius deſcribit, oſtendens, oriri eos duplici principio medullari, longiore ſcilicet et breuiore. Et longius quidem ex angulo fiſſurae SYLVII, lato initio vel nonnunquam acuminato oritur, atque incuruato ductu verſus anteriora procedit, et appropinquat fiſſurae, quae cerebri anteriores lobos diuidit. In hoc inceſſu per cineream ſubſtantiam corporis ſtriati inferioris et anterioris progreditur, argenteo ſuo colore facile diſtinguendum, tandemque ſe alteri principio medullari iungit. Hoc, quod breuius eſt, oritur ex diſtincto limite, qui inter corpus ſtriatum anterius et poſterius eſt, rectaque via antrorſum procedit. Duo vero haec principia, quae vbi coniunguntur, nerui formam induunt, non ſola medulla conſtant, ſed *arripiunt ſecum a duobus ſui lateribus loborum anteriorum cerebri ſubſtantiam corticalem, in filamentorum quoque naturam degenerantem, quae in itinere cum medullaribus iuxta ſe inuicem incedunt, ita, vt eorum ordines alternare diceres, atque perducuntur diſtincte ad neruorum horum fines.* p. 28. Tertium quoque principium aliquoties obſeruauit Noſter, ex interſtitiis anteriorum loborum cerebri, prope principium crurum cerebri, quod ex fundo ventriculorum anteriorum videbatur exire, tegebaturque papilla, quae ſubſtantiam corticalem loborum cerebri anteriorum, vbi continui ſunt, terminat. In vniuerſum hi nerui in origine ſua lati ſunt, et in ſulcis, baſi loborum cerebri anteriorum inſcriptis, triangularibus, in media parte profundioribus, quam verſus extrema, latent.

Diameter

Diameter eorum primum ſenſim minor fit, deinde vero vbi ad foramina oſſis cribroſi accedunt, iterum in latitudinem expanduntur, et quaſi intumeſcunt. Arachnoidea et pia matre veſtiuntur, atque praecipue in oſſe turbinato ſuperiore vltimis
p. 31. finibus ſuis diſtribuuntur. Quod vero ad ſingularem horum neruorum ſtructuram attinet, cum non, vti HALLERUS *) aſſeruit aliquando, ſed obſeruante LOBSTEINIO, perpetuo, ex medullari et corticali ſubſtantia cerebri compoſiti deprehendantur, tenendum eſt, Cl. Auctorem pluribus hic demonſtrare, *corticem neruis his non ideo intermixtum eſſe, vt medullaribus fiſtulis in ſuo decurſu fluidum infundat adiiciatque per medullares neruorum origines aduenienti, quae haud ſatis ſuo cortici vicinae ſint.* Hunc enim finem naturae non fuiſſe, patere arbitratur, *ex perpetua nec omnibus locis aequali vtriusque ſubſtantiae diſtributione in filamenta, quae mechanico modo ſeſe in medio accommodant baſi cranii, ipſiusque nerui ſulco.* Neque ideo corticalis ſubſtantia adeſt, vt medulla, nimis a cortice remota, fluidum ex ea acciperet, cum ſatis vicinus cortex ſit, ſuperetque copiam corticis, qui in vicinia originis aliorum maiorum neruorum poſitus eſt. Corticem ſpirituum circulationi inſeruire, eosque reuehere, vel medullam hunc vſum praeſtare, impoſſibile eſt ob repercuſſionis leges, quibus efficeretur, vt motus, in fluido excitatus, deſtrueretur, aut infringeretur, dum recens ſecretum obuiam fieret retrogredienti. Medullam ipſam ſenſibilem eſſe, nihilque fiſtuloſi ei ineſſe, refutatur experimentis Cl. Auctoris, qui cognouit, non ſolum corticem nullum ſenſum habere, ſed et animalia, medulla in anteriore parte cerebri ad baſin cranii vſque perforata, non doluiſſe: contra vero medulla oblongata laeſa, illa horrendis cruciatibus vexari, vitam tamen illorum

*) *Elemens. Phyſ. corporis humani* T. IV.

rum adhuc per aliquod tempus ſupereſſe. Num vero cortex et medulla in ſuperiore parte aeque inſenſiles, vbi ad baſin caluae accedunt, ſenſibilitate creſcant, nulloque inter has duas poſito diſcrimine, medulla in his neruis cortice pro fulcro ſit, aut vti Cl. BATTIE iam ſtatuit, cortex in omnibus neruis adſit, Cl. Auctor definire non audet.

VIII.

Hiſtoire de l'Academie royale des Sciences et Belles Lettres. Année 1759. à Berlin, chez Haude et Spener 1766. 4. Alph. 2. pl. 19. Tabb. aen. 11.

h. e.

Hiſtoria Academiae regiae Scientiarum et elegantiorum Litterarum. An. 1759. Berolini etc.

In claſſe philoſophiae experimentalis ſequentes commentationes occurrunt.

1) *Experimenta, quibus demonſtratur, lapidem ſerpentinum Saxoniae, neque ad terrarum argillacearum, neque ad lapidum argillaceorum claſſem referendum eſſe.* Auctore Cl. MARGGRAF. Cum partes argillae crudae et nondum calcinatae, ſi in aquam ea iniicitur, ſenſim a ſe inuicem diſcedant, hoc autem phaenomenon in lapide ſerpentino eiusque ſpeciebus non obſeruetur, in dicto lapide, quem vel ob ſolum hoc phaenomenon ad argillaceorum claſſem non referri poſſe, Noſter putabat, aliam proinde, ac in argilla terram ſolubilem indolis prorſus diuerſae contineri, coniecit. Inſtituit itaque Cl. Auctor experimenta, dictumque lapidem ſolutioni viae humidae ſubiecit. Lapidem nimirum, in tenuiſſimum puluerem p. 3.

rem

rem comminutum, in retortam terream indidit, eique oleum vitrioli, triplo aquae dilutum affudit, posthac autem omne humidum per destillationem e balneo arenae euocauit. Massae siccae, in retorta relictae, aquam calidam affudit, eamque per aliquot tempus digestioni calidae commisit, posthac leni decantatione separauit, denuoque aquam calidam affudit, idque toties repetiit, donec massa relicta insipida deprehenderetur. Lixiuia salina commixta percolauit, massaeque, in filtro relictae, edulcoratae et exsiccatae, denuo oleum vitrioli affudit. Hac autem ratione vltra dimidiam partem terrae solubilis in lapide serpentino contineri, Noster deprehendit. Lixiuia euaporata et ad crystallisationem reposita, crystallos oblongas, saporis amari, dederunt, quae disquisita, neque alumen, neque seleniten, sed singulare sal terrestre praebuerunt. Itaque terram illam solubilem, in lapide serpentino contentam, neque terram calcaream, neque argillaceam, sed terram alcalinam singularis indolis esse, Noster colligit. Praeterea quoque terram istam solubilem non solum ope acidi vitriolici, sed etiam acidi nitrosi, acidi salis communis, aceti destillati ope, obtineri, Noster perhibet. Quod autem ad terram istam attinet, quae post solutionem, cum oleo vitrioli factam, relinquitur, ea ad naturam terrae arenosae vel siliceae accedere et vitrescibilis indolis esse dicitur. Cum alcali fixo enim commixta et igne violento fusa, vitrum bonae indolis dedit. Itaque terram non solubilem lapidis serpentini eadem ratione, vt terram non solubilem argillae vitrescibilis indolis esse, ideoque argillam tantum ob terram solubilem a serpentino lapide differre, Cl. Auctor asserit.

p. 12. 2) *Relatio effectuum acidi vitrioli ad lapides diuersos seu terrae species.* Auctore EODEM. Cum Cl. Auctori

ctori feliciter contigerit, vt ex praecedenti commentatione apparet, ex lapide ſerpentino, acidi vitriolici ope, terram ſolubilem ſeparare, alios itidem lapides, dicti acidi ope, diſquiſiuit et deprehendit, ſimilem terram in lapide nephritico, ſteatite, amiantho ſeu aſbeſto, talco albicante lamellis ſubpellucidis, et terra Coſemizenſi, in Sileſia reperiunda, contineri, ſimileque ſal amarum ope dictae terrae et acidi vitriolici obtineri, ex terra vero miraculoſa Saxonica, rubrica fabrili et terra illa Suecica, *Speerſtein* dicta, mediante acido vitriolico alumen verum, nec ſalem amarum ſeſe obtinuiſſe, ideoque hoſce lapides nequaquam ad ſpecies lapidis ſerpentini, ſed ad lapides argillaceos referendos eſſe. Vitrum Ruthenicum autem, quod a WALLERIO mica membranacea, pellucidiſſima, flexilis, alba vocatur, cum acido vitrioli neque vllum ſalem dediſſe, neque etiam vllam mutationem ſubiiſſe, Cl. Auctor arbitratur.

3) *Experimenta chemica de lixiuio poſt cryſtalliſationem ſalis communis ſuperſtite, quod mater eiuſdem vocatur*, inprimis de terra, in eodem contenta. Auctore EODEM. Terram illam, in lixiuio ſalis communis contentam, et a FRIDERICO HOFFMANNO aliisque pro terra calcarea huc vſque habitam, pro terra quidem alcalina, nequaquam vero calcarea, ſed illi ſimili, quae in lapide ſerpentino reperitur, habendam eſſe, Noſter aſſerit. Terra enim ex lixiuio ſalis, ope alcali fixi, puriſſimi, praecipitata et exacte edulcorata et ſiccata, cum oleo vitrioli verum ſal medium, ſalibus amaris aquarum mineralium, ſali Sedlizenſi, Seydſchüzenſi et Ebshamenſi ſimile, cum acido nitri ſal, nitro vulgari ſimile, cum acido ſalis autem mixtum ſalinum, quod coagulationem multoque magis cryſtalliſationem reſpuit, cum aceto deſtillato demum maſſam fuſcam, gelatinae ſimilem dedit. p. 119.

Cum itaque eadem producta cum dictis menſtruis ex lapide ſerpentino obtineantur, terram ſolubilem in hoc lapide inque lixiuio ſalis contentam nequaquam differre, atque terra calcarea cum menſtruis memoratis alia prorſus producta praebeat, terram dictam pro calcarea non habendam eſſe, Noſter affirmat.

p. 28. 4) *Obſeruationes quaedam chymicae, notatu dignae.* Auctore EODEM. Prima obſeruatio vitriolum martis ſpectat: obſeruauit nimirum Cl. Auctor, vitriolum martis, in vaſe cupreo coctum, hoc etiam metallum ſibi vnire; lamina enim ferrea, quae in ſolutione vitrioli martis, neutiquam in vaſe cupreo detenta, non mutata manet, in ſolutionem vitrioli martis, cum aqua in vaſe cupreo cocti, indita, cupro obducta apparet. Idem etiam cum alumine in vaſe cupreo cocto euenit, cuprumque ſolutum alumen intrat. Itaque ferrum ex vitriolo martis per cuprum aeque bene, vt hoc ex vitriolo coeruleo per ferrum praecipitari, Noſter colligit.

p. 32. *Secunda obſeruatio ad reſinam quandam ſpectat, quae ex oleo ſuccini rectificato et ſpiritu nitri concentrato producta, odorem ſingularem moſchi habuit.* Si nimirum drachma vna olei ſuccini cum tribus drachmis et dimidia ſpiritus nitri commiſcetur, poſt 24 horas reſina flaua, liquori acido ſupernatans obtinetur, quae ope aquae, pauxillo ſalis alcalini additae, bene edulcorata et ſiccata odorem moſchi de ſe ſpargit, in ſpiritu vini ſoluitur, ex quo, ope aquae, vt reſina, deiicitur. Eadem reſina, deſtillationi ſubiecta, phlegma acidum, poſthac ſpumam pinguem dat, quae cuncta odorem moſchi habent; vltimo oleum craſſum tranſit, collo vaſis adhaerens, quod, vt oleum animale DIPPELII, odorem habet.

Tertia

Tertia obſeruatio ad *rectificationem camphorae* pertinet. Haec pro arcano Belgarum hucuſque habita, a Noſtro vix pro arcano habetur; ſiquidem camphorae crudae partes tres vel quatuor cum parte vna calcis viuae, in aere libero extinctae, mixtae et rite ſublimatae, camphoram optimae indolis praebent. p. 34.

5. *Obſeruationes morborum quorumdam rariorum* Auctore Cl. MECKEL. p. 35.

Obſ. 1. *De calculo inteſtinali, quo cauum inteſtini obturatum eſt.* Foemina ſpiritu frumenti immoderate vtens, et ſitim, inde oriundam, cereuiſiae crebriore potu extinguens, ſaepius de dolore in regione iliaca dextra prope vmbilicum conqueſta eſt, poſt caſum autem ab alto dolorem in regione vmbilicali viuidiorem ſenſit, vomituque multam bilem reiecit, variis autem ſymptomatibus accedentibus, tertio die mortua eſt. Abdomine cadaueris aperto, ventriculus vehementer expanſus et eius tunica celluloſa aere diſtenta inueniebatur. Duodenum cum lobo hepatis dextro et veſicula fellea, in vnum et calloſum corpus coaluerat, quod cartilagini nonae et decimae coſtae adhaerebat. A latere dextro regionis vmbilicalis, vbi ampliata ieiuni pars in contractam continuabatur, calculus haerebat, quo cauum totum obturabatur. Hic ferme oualis erat, et minoris oui gallinacei magnitudinem referebat, coloris obſcure flaui, diffractus continebat nucleum oualem album, intus fibris radiatis ſplendidis conſpicuum. Nucleus hic nec acidae, nec alcalinae indolis erat, ſed ex mente Cl. Auctoris ex oleo viſcido ſanguinis humani, ſubtiliſſimis ſalinis, et terra immutabili, quae vniuerſam baſin ſolidorum corporis animalis efficit, conſtare videbatur. Cortex poſt exſiccationem fragilis ex ſtratis viginti circiter componebatur, et, experimentis inſtitutis,

ſtitutis, alcalinam potius indolem partibus oleoſis et gelatinoſis iunctam referebat, multum enim terreſtris ſubſtantiae continebat, quod combuſtio declarabat. Ex bile itaque, in inteſtinis collecta, et viſcida parte, per ſpiritus frumenti abuſum coagulata, hic calculus ſenſim formatus erat, qui, obturando inteſtinum tenue, mortem demum induxit.

p. 39. Obſeruatio 2. *De excreſcentia ſingulari in inteſtino craſſo nata et inde excreta.* Foemina triginta annorum de ſenſu grauatiuo in hypochondrio ſiniſtro et ſimul obſtructionibus aluinis ſemper conquerebatur, tandem vero poſt horrorem, dolore et inflammatione inteſtinorum afficiebatur. Qua aptis auxiliis ſedata, dolor tamen et ſenſus corporis peregrini, in inteſtinis haerentis, continuabat, tandem laxantibus medicamentis et clyſteribus crebrius exhibitis, cum violenta et doloroſa excretione aluina excreſcentia membranoſa reiiciebatur, quae duobus quaſi cruribus cauis, ad inteſtini parietem interiorem adhaeſerat, in medio in veſicam inflata. Locus adhaeſionis erat in ea parte inteſtini, quae in ſiniſtro latere curuaturam lienalem format, et hydatis erat liquore congelato plena, in duo crura extenſa. Nexum vero arctiorem cum inteſtini parietibus oſtendebant vaſa, quae ex his ad hydatidem translata, in eius ſuperficie conſpiciebantur. Excretione tamen hac cum optimo ſucceſſu facta, aegra, aptis auxiliis adiuta, vere conualuit.

p. 42. Obſerutio 3. *De aere intra thoracem, reſpirationem impediente, cauſſa mortis.* Miles duo de viginti annorum, ſtaturae procerioris, vegetus de reliquo, per ſeptendecim hebdomadas iam de reſpiratione anxia conqueſtus erat, etſi cauſſa huius incommodi latebat. Poſtquam igitur, remediis variis incaſſum adhibitis, obiret, in diſſecto cadauere hepar in hypochondrio dextro ita ſub marginem coſtarum depreſſum inueniebatur,

niebatur, vt ad coecum inteſtinum vſque deſcenderet, et ventriculum et zonam coli e ſitu ſuo deprimeret. In loco hepatis diaphragma depreſſum inſtar veſicae apparebat, et collectionem puris vel aquae in thorace oſtendere videbatur. Inciſo diaphragmate, deorſum extenſo, aer elaſticus erumpebat, quo facto, illud ſpontaneo motu ſurſum in fornicem eleuabatur. Pulmo ſiniſtri lateris ſanus erat, dexter vero lobus contractus, denſus ſine aere, nodoſus magis quam ſcirrhoſus conſpiciebatur, nec flatu, per tracheam immiſſo, extendi poterat. Spatium vacuum, quod pulmo in thorace reliquerat, et quod inſolita diaphragmatis depreſſione auctum fuerat, pleura alba non nihil denſiore, muco adhaerente illita formabatur. Videtur itaque orificium dextrum tracheae, muco tenaci infarctum, liberum ingreſſum et egreſſum aeris impediuiſſe, aeremque incluſum, calore expanſum, in thoracis cauitatem tranſiiſſe et mutationes deſcriptas induxiſſe. Rarior haec obſeruatio etiam oſtendit, aerem elaſticum intra thoracem in ſtatu naturali nec eſſe, nec reſpirationem iuuare, eandem potius impedire poſſe.

Obſeruatio 4. *Steatoma thoracis, quo cor, pulmones, et varia abdominis viſcera e ſitu ſuo dimota ſunt*, exhibet. p. 44. Cum in diſſectione cadaueris foeminae ſexaginta quinque annorum, aperto abdomine, lien os ileum verſus, et ventriculus verſus regionem vmbilicalem depreſſus inueniretur, Cl. Auctor in cauſſam ſitus huius inquirens, ſteatoma quatuor librarum et trium vnciarum pondere, ſuperius diaphragmati inhaerens, pleuram et lobum pulmonis ſiniſtrum, nec non cor e ſitu ſuo introrſum, dextrorſum premens, inueniebat. Obſeruationes hae quatuor, iconibus in tribus tabulis expreſſis, plenius illuſtrantur.

6. *Dilucidatio hiſtorico phyſica variarum planta-* p. 48.
rum, quae pro vero Aegolethro PLINII *habitae ſunt.*

Auctore Cl. GLEDITSCHIO. Quanta cum cura in libris veterum verſandum ſit, ſi ea, quae ad hiſtoriam naturalem lapidum, plantarum et animalium pertinent ex iis eruere et ad noſtras obſeruationes accommodare velimus, omnes cognoſcent, qui corpora naturalia cum vera attentione examinant. Cl. Auctor itaque in *Aegolethro* PLINII ſpecimen damnus, aconitum, rhododendron, nerion ſiue rhododaphnen et buxum cum variis ſententiis Auctorum deſcribit, has plantas tamen, quanquam venenatas vel alia ratione animalibus infeſtas, et ſucco florum, ex quo mel colligunt apes, interdum nociuas, cum veterum deſcriptionibus non ſatis conferre, nec accurate definire poteſt, inprimis cum non quouis anno, ſed interdum tantum venenatum mel, et forte
p. 59. ex florum corruptione nociuum praebuerint. Cum nerion, teſte TOURNEFORTIO, in Ponto non inueniatur, in definiendo *Aegolethro* PLINII ad narcoticam et volatilem acredinem duarum ſpecierum chamaerhododendros, a nominato Auctore deſcriptarum, ideo maxime reſpiciendum eſſe arbitratur Noſter, quod copioſe in illis regionibus creſcant, ſcilicet *chamaerhododendros pontica maxima meſpili folio, flore luteo*, et *pontica maxima folio laurocerafi, flore e coeruleo purpuraſcente.*

p. 61. Altera diſquiſitio concernit orobanchen ſeu potius illam ſucculentam plantam, quam anblatum CORDI, dentariam maiorem MATTHIOLI, et ob radicem ſquamoſam alii ſquamariam appellant, et quam GESNERUS, quamuis magis orobanchem reſpexiſſe videatur, cum aliqua dubitatione ad *Aegolethrum* PLINII refert, hae tamen plantae nullo modo ad venenatas, multo minus ad plantam hanc dubiam referri poſſunt, quod in illis regionibus non creſcunt.

Progre-

Progreditur tandem Noſter ad examen ranunculorum, inprimis paluſtris, qui ob acrimoniam flammula dicitur, et quam DODONAEUS ad *Aegolethron* PLINII referri poſſe, coniectura quadam aſſequi volebat, cum autem ranunculorum ſpecies, ſumma acrimonia noxiae, in illis regionibus vix inueniantur, et acrimonia ſola et vis venenata plantarum varia ratione definienda ſit, de hac re in vniuerſum diſſerit Cl. Auctor, et delectum victus, ab animalibus ſaepe factum, diiudicat. Sub finem vero mentionem iniicit erigeri viſcoſi LINN. quod alii ad conyzam retulerunt, et quod capris potiſſimum exitioſum eſt.

IX.

Memoire ſur les maladies epidemiques des beſtiaux, qui a remporte le prix propoſe par la ſocieté royale d' Agriculture de la generalité de Paris pour l' année 1765. Compoſé par Mſr. BARBERET, Médecin penſionaire de la ville de Bourg en Breſſe cet. avec de notes inſtructives à Paris, chez la Veuve d'Houry 1766. 8. pl. 10.

h. e.

Commentarius ſuper morbos epidemicos pecorum, cui a ſocietate regia Pariſina agriculturae praemium adiudicatum eſt. Auctore Cl. BARBERET *).

Cum quaeſtionis a ſocietate propoſitae, de morbis epidemicis animantium brutorum in vniuerſum, qui in veterum et recentiorum libris proponuntur, de eorum cauſſis et praecipuis remediis breuis explicatio vix tradi poſſit, tractationem, arctiori-

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. XIII. Part. I. p. 158.

bus limitibus circumſcriptam, Noſter exhibuit, et deſcriptionem cauſſarum, effectuum et curationis morborum epidemicorum et contagioſorum, qui pecora potiſſimum afficiunt, tradit, ſimulque remedia eos praecauendi vel progreſſum eorum coercendi, propoſuit. Non vna certe horum morborum facies eſt, attamen veteres de morbis armentorum et remediis, iis opponendis, nihil certi tradiderunt; ita, vt ad tempora RAMAZINI vſque, nihil accurate declaratum inueniatur.

p. 4. Hic Auctor conſtitutionem epidemicam, anno 1690 in ducatu Mutinenſi obſeruatam, humidam et frigidam dicit, et ab hominibus ad animalia tranſiiſſe narrat, eruptione variolarum in vniuerſo corpore conſpicua, nonnulla animalia cito peribant, alia in chronicam tabem coniiciebantur, ſequenti anno morbus hic varioloſus ouibus, quibus magis infeſtus eſſe ſolet, exitioſus erat. Anno 1693 poſt humidam hiemem calor ingens vernalis ſuccedebat, ex qua cauſa phthiſis pulmonalis multa animalia in Haſſia inuadebat, cuius cauſſam alii in rubiginem coniiciebant, qua herbae inquinabantur. In Hungaria inferiori 1712 hiemi frigidiſſimae ſuccedebant vernales pluuiae crebriores, et paulo poſt inſignes frigoris et caloris viciſſitudines, hinc generatio ſerpentum ita augebatur, vt homines et animalia ab iis crebrius laederentur et perirent. Puſtulae praeterea albae foetidae in corpore et effluxus ſaliuae putridae et tenacis, aliam morbi ſpeciem contagioſam ſimul inferebant, ita vt animalia quoque, ſyluas inhabitantia, hoc morbo corriperentur et perirent. Accedebat etiam prouentus copioſorum inſectorum, herbas inquinantium. Haec epidemia in Italiam et Germaniam translata eſt, cuius contagium ſaliuae, in herbas defluenti, adſcribit Noſter, quod certum eſt, ſaliuam maxime contagioſam eſſe. Peſtis boui-

na

na 1730 Germaniae et vicinis prouinciis exitiosa, non satis descripta est, videtur tamen eadem fuisse, quae anno sequenti in Gallia obseruabatur, cuius character in vesica alba, linguae adhaerente et anginam gangraenosam inducente, inueniebatur.

Ab anno quadragesimo vsque ad quinquagesi- p. 13.
mum huius seculi, per Germaniam et alias prouincias Europae, febris putrida maligna et nonnunquam inflammatoria pecora inuadebat, et crebrius dysenteriis malignis stipata erat. Vehementissimus morbus vario modo procedebat, interdum auctus, interdum imminutus. Anno 1762 ex Dania in confinia Germaniae transibat morbus, ei similis, qui vesicam albam linguae adhaerentem, ostenderat. Eodem anno Bellouaci in Gallia, morbus varioloſus ouibus exitiosus erat, cuius indolem et benignam et malignam contagiosam breuiter describit Noster, hanc enim non tantum pustulae gangraenosae, sed vlcera in naribus et faucibus coniuncta produnt.

Breui hac historia morborum praemissa, ad cau- p. 19.
sas examinandas transit, quas potissimum in aere et victu quaerit. Et aerem quod attinet, varia veterum testimonia collegit. Quanquam autem morbi contagiosi ab vno animalium genere ad alterum non transferri posse videantur, aerem tamen inquinatum in stabulis praecipue et alius generis animalibus exitiosum fuisse experientia confirmauit. Pergit vero, et multis modis declarat, victum rubigine vel aliis morbis plantarum infectum, caussam morborum contagiosorum existere, et porro vrget, aquam ipsam, qua in potu vtuntur animalia, frequentioris infectionis caussam esse posse, quod non solum stagnans et putrida aqua, sed infectis variis referta, viscera animalium brutorum laedit.

Quanquam vero contagii clandestini vis et aeris p. 35.
inde orta infectio non satis declarari potest, in his

tamen morbis putredinis aut inflammationis effectu ita se exserunt, vt non solum in symptomatibus, sed etiam in dissectione cadauerum detecti sint, hinc Cl. Auctor arbitratur, ad has mutationes morbosas
p. 38. etiam in curatione respiciendum esse. In inflammatoriis nimirum morbis venaesectio praecipuum auxilium est quod impetum humorum in vasa et aestus augmentum compescit, in putridis vero de euacuatione primarum viarum praecipue cogitandum esse monet, qua acrium particularum accessus ad sanguinem cohibetur. Haec generalia sunt, specialiores vero medendi rationes ex natura morborum repetuntur, quae Cl. Auctor ex indole morborum, in hominibus obortorum, diiudicat. Si pustulae cum pulsu forti oriuntur, exanthemata critica, si cum pulsu debili, maligna sunt. In illis venaesectionem vtilem iudicat, et potum ex aqua cum nitro suadet, in his vero venaesectionem noxiam dicit, et theriacam, sulphur et salem marinum cum aqua, furfuribus remixta, suadet, et setaceum addit. Si vero tunc exanthemata non rite eleuantur, decoctum ex sassaparillae et contrayeruae radicibus cum ligno
p. 43. sassafras commendat. Morbus, in quo phthisis pulmonalis funesta est, praecauetur venaesectione, si vero iam in suppurationem tendit, vncia semis sulphuris et cinnabaris antimonii cum furfuribus miscere et singulis diebus exhibere iubet. Irritanda etiam et fricanda est cutis, quo materia morbi ad eam alliciatur.

p. 44. In morbis epidemicis, quorum symptomata febrim putridam malignam inflammatoriam produnt, quod fauces, ventriculus et intestina succo acri, caustico scatent, venaesectio inflammationem imminentem arceat, et oleum lini vel aliud expressum cum aceto mistum et alia acida propinentur. Post aliquot dies sulphur metallorum vt euacuans medica-

mentum

mentum laudat, quanquam enim huic quoque fini puluis radicis bryoniae reſpondeat, tamen ſulphur metallorum praefert. His incaſſum exhibitis, mane et veſperi vnciam ſemis corticis Peruuiani ſuadet, cui, quod pretioſum eſt medicamentum, puluerem radicis gentianae cum fuligine, admixto ſale prunellae et camphora ſubſtituit. Bubones tunc ſaepe oborti, cucurbitulis applicatis et ſcarifatione facta, ad ſuppurationem ducuntur, vnguento baſiliconis vel alio ſimili applicato. Interne ſimul fuligo cum aceto theriacali propinatur.

Mittimus alias ſpeciales medendi rationes, in- p. 54.
primis quae de morbo varioloſo ouium diſputat, notamus tantum, Cl. Auctorem bene monere, remedia climatibus diuerſis accommodanda eſſe, et pauca de prophylaxi morborum addimus. Combuſtio ſulphuris et nitri, vel aceti euaporatio in ſtabulis, quorum puritas omnino curanda eſt, corrigit aerem. In vniuerſum vero omnia remedia, quae curationi morbi inſeruiunt, vt prophylactica, pro ratione epidemiae ingruentis, conſideranda ſunt. Quod ſi vero morbus iam animalia quaedam corripiat, communicatio animalium, morbo iam infectorum, cum ſanis omni modo praecauenda eſt, ne vlterior fiat contagii progreſſus. Inprimis vero caueatur, ne ſana animalia ad illa loca admittantur, per quae infecta tranſeunt, ſi enim herbis veſcuntur, a prioribus demorſis, ſaliua adhaeret, quae omnino contagioſa eſt. Quod, quanquam de muco ex ore fluente valet, notandum tamen eſt, animalia, morbo affecta, non amplius victum quaerere. Sepultura quoque cadauerum magna cum cura efficienda eſt, quo in calido potiſſimum aere multa terra obtegantur. Coria quoque contagii continuandi cauſſa ſunt, quae ideo ſimul terrae mandanda, nec conſueta ratione praeparanda ſunt. Quando demum ſana animalia

malia in ſtabula infectorum denuo admittenda ſunt, non ſolum ſtercora, quae infectionem continuant, caute remouenda, ſed reliquae etiam depurandi actiones non intermittendae ſunt.

Cognouimus itaque, in hac tractatione varias hucuſque notas obſeruationes Auctorum, de morbis pecorum, apto ordine diſpoſitas, proponi. Addimus tamen nunc nonnullas annotationes, a ſocietatis
p. 67. membro huic tractationi ſubiunctas. Ad morbos quoque epidemicos referri merentur illi, qui in quibuſdam prouinciis vere potiſſimum et autumno multis animalibus infeſta ſunt, vt peripneumonia in Burgundiae comitatu, quam *Murit* dicere ſolent, nonnunquam quidem benigna, ſaepe tamen maligna, multis animalibus exitioſa. Commemorantur multi morbi armentorum, quorum mentionem fecit COLUMELLA, v. c. coriago, ſi membrana pleura vertebris et coſtis morboſe adhaeret, et quae forte ad phthiſin referri poteſt; ignis ſacer, quem *puſula* nonnulli dicunt, et referri poteſt ad morbum varioloſum ouium. Simili modo multi recentiores ſcriptores huc referendi nominantur, praecipue vero breuis recenſio libelli, ALANCISIO editi, de peſte bouina, ad-
p. 77. ditur. Traditur etiam breuis deſcriptio peſtis bouinae 1762, in Dania obſeruatae, et morbi, ouibus infeſti, Bellouaci in Gallia eodem anno a Cl. BOREL deſcripti. Adiecit hic varias, quae in morbo hoc vlterius cognoſcendo vtiles ſunt, quaeſtiones, v. c. de inoculatione; videntur tamen tentamina in morbis, per communicationem cognoſcendis, minus tuta, ſaepe
p. 89. magis exitioſa. Acris effectus in contagio, per poros cutaneos ſuſcepto, minor eſt, quam is, vbi habitus noxius ore et naribus attrahitur, inprimis vero ſaliuae infectio in contagioſis morbis attendi mere-
p. 91. tur. Negatur, vnum genus animalium alterius

morbos

morbos infectione ſuſcepiſſe. Huius vero experientiae ratio non tradi poteſt, quod origo, natura et characteres exhalationum explorari, proportio miſcelae harum exhalationum cum aere definiri, vis actionis in animalia varia eorumque partes, et horum reactio determinari nequeat.

Exhibetur poſtea ampla deſcriptio morbi contagioſi in Delphinatu, praecipue in parochia Mezieux anno 1762 obſeruata. Inappetentia victus et ſolidi et fluidi, caput et aures pendentes, oculi lacrymoſi, inflammatio faucium cum effluxu ſaniei et alia conſueta peſtis bouinae ſigna recenſentur, putredo et liuor in trachea et oeſophago reliquisque partibus vicinis ſe monſtrabant. Cauſſa erat aeſtas calida et ſicca, indeque pendens defectus herbarum, quamobrem animalia ad loca vliginoſa, vbi aquae corruptae ſtagnabant, ducenda erant, in quibus putredinis cauſſam inueniebant, quae vehementer augebatur, quod calor intolerabilis in vicinis ſabuloſis locis eam magis euoluebat, nulla itaque medela inueniri poterat, quam ſeparatio ſanorum animalium ab infectis, et varia remedia prophylactica, quae fuſius deſcribuntur. p. 97.

Similis vel maior certe erat vis morbi epidemici, qui in agro Borvagiano prope Rupellas anno 1763 ſaeuiebat, et cuius hiſtoriam Cl. NICOLAU, M. D. communicauit. Terra ad littora maris ſita, antea per canales aquam admittens, qua euaporata, ſal marinum remanebat, in vſus culinares colligendum. Mari vero ſenſim ab his littoribus recedente, et ob foſſas inaequalis relicta terra non niſi aquam pluuialem ſuſcipiebat, in quibuſdam locis breui diſſipatam, in aliis ſtagnantem et potui pecorum inſeruientem, ſaepe tamen minus ſano, quod cum ſtaſi corruptio coniuncta erat. Anno itaque ſexageſimo tertio pluuiae copioſae et menſe iulio tempeſtas vehementiſ- p. 105.

ſima

sima grandinosa hominibus et animalibus brutis maxime molestissima erat. Herbae, et bonae quidem, copiose crescebant, nimia tamen humiditas et terra nimis emollita exsiccationem et collectionem foeni impediebant. His de caussis quoque animalia ad morbum disponebantur, qui et domestica animalia, canes et volatilia inuadebat, et sub finem iulii incipiens, mense septembri demum mitior reddebatur. Nonnulla
p. 109. primo signa vniuersalia recenset, reliquis epidemicis morbis propria, singularem autem morbi indolem in tumoribus magis oedematosis, quam inflammatoriis detexit. Hi passim oriebantur, non contextum cellulosum solum, sed etiam musculos afficiebant, ita vt ex iis humor in contextum cellulosum transire videretur, discuti non poterant, incisi tamen celerem gangraenam inferebant, effectum etiam in carnibus cadauerum magis macerationem, quam putrefactionem appellat. Symptomata, v. c. impedita digestio et alia cum putridis malignis morbis omnino conueniunt, quamobrem in notis, his annotationibus denuo subiectis, breuis delineatio putridorum morbo-
p. 124. rum traditur. In tumoribus his cita incisio requiritur, ita vt omnes tum, cum eleuantur, protinus incidendi sint. Interne detur decoctum scordii vinosum, addito sale communi; externe vero herba clematidis, radice hellebori nigri vel iridis, affluxus humorum efficiatur, depurato tandem vulneri terebinthina addatur. Adiiciuntur tandem variae obseruationes in sectione cadauerum factae, breui recensione non exponendae.

p. 131. Quoniam vero alia huius morbi relatio, eum vt inflammatorium et paulo post putridum descripserat, consilia quoque in hunc finem directa, proposita sunt, paulo post vero cum vberior descriptio Cl. NICOLAU communicaretur, alia ratio medendi exhibita est. Etsi igitur cuncta repetere haud possumus,

lectionem

lectionem tamen ideo commendamus, quo videant illi, qui in disquisitionibus morborum armentorum occupati sunt, quanta cum cura symptomata et progressus morbi attendi debeant, si remedia prophylactica, quae praecipua sunt, et curatoria recte ordinanda sunt. Dicamus tantum de tumoribus p. 142. criticis, qui forte sequentem in modum tractari possunt. Cataplasmata emollientia humorem ad cutim dirigant, praeferenda tamen sunt ea, quae admixtis cantharidibus oscillationem solidorum efficiunt et inflammationem mouent. Fluctuatione percepta, tumores non scalpello incidantur, sed cauterio actuali applicato moueantur, et suppuratio vnguento aegyptiaco in principio admixto, vehementior reddatur.

De peripneumonia pecoribus infesta, et supra p. 144. indicata, hic porro agitur. Signa sunt, tussis plus minus sicca et subinde aucta, febris sat valida, asthma in primis post pastum, inappetentia victus, quibus alia interdum tantum accedunt, anima foetida, nares, os et lingua sicca, effluxus pituitae tenacis ex naribus. In cadaueribus obseruantur pulmones liuidi quasi fugillati pustulis, maculis gangraenosis et crusta saepe viscida obducti, varie corrupti et pleurae magis densatae adhaerentis. Pluuiae copiosae, quibus animalia expositа sunt, et vicissitudines calidi et frigidi aeris praecipua caussa sunt. Sub initium morbi venae iugularis sectio, eaque repetita, clysmata emollientia et refrigerantia, victus parcus, tenuis, pilulae ex farina fecalina et melle formatae, et potus aquae cum furfuribus conueniunt, eo autem varie aucto, alia remedia, quae mutationibus morbi accommodanda sunt, eligantur.

Mittimus alia, quae de variis pecorum morbis p. 157. v. c. de dysenteria, proponuntur, cum vniuersi huius libelli attentam lectionem iis commendemus, qui

qui artis veterenariae praecepta meliori ordine et nexu proponere ſuſcipiunt.

X.

Diſſertatio inauguralis medico-chirurgica, de hydrope articulorum, quam publicae diſquiſitioni ſubmittit GEORGIVS HAFFNER, Sueuus Fillenbac. Vindobonae typis Kaliwodianis 1762. 4. pl. 5½.

Auctor elegantis huius diſſertationis, multis bonis annotationibus refertae, chirurgi munere in noſocomio Pazmariano Viennenſi, quod Ill. STOERK et ſucceſſor eius Cl. COLLIN illuſtre reddiderunt, fungitur. Praemiſſis iis, quae ad hydropis in vniuerſum, et in ſpecie ad hydropis articulorum natu-
p. 4. ram explicandam pertinent, monet: hunc morbum frequentiſſime obſeruari in genu articulo, ſiue id ex partium in hoc articulo compoſitione, oſſibus ſcilicet latis ligamento capſulari ſatis magno et quodammodo laxo connexis, oriatur, ſiue is morbus, licet eadem frequentia in aliis articulis occurrat, minus tamen et ſerius tandem cognoſcatur. Hydropicum enim tumorem etiam in articulo, qui inter tibiam, fibulam, et tarſi oſſa eſt, obſeruauit. Diro huic et haud raro lethali morbo originem praebent, tum eae cauſae omnes, quae liquoris articularis ſecretionem vltra modum augere, et reſorptionem impedire poſſunt, tum quod, vt plurimum fit, metaſtaſis humoris cuiuſdam morboſi ad hunc articulum v. c. varioloſi, ſcorbutici, venerei, rheumatici et arthritici, qui duo vltimi morbi frequentius hanc hydropis ſpeciem producunt. Nunquam tamen articulorum hydrops, vt aliae huius morbi ſpecies, ex alia ſpecie
p. 11. hydropis oritur. Signis deinde, quibus hic morbus

ſiue

ſiue recens adhuc ſit, ſiue iam per aliquod tempus durauerit, cognoſci poteſt expoſitis, Cl. Auctor ea proponit, quibus eum ab aliis morbis, cum quibus confunditur, diſtinguere poſſumus. Et a fungo quidem articulorum, ad quem illum multi chirurgiae ſcriptores et inter hos HEISTERUS, referunt, differt non ſede ſolum, cum cauum ipſum articuli occupet, et cauſſa, quae vt plurimum interna eſt, ſed et periculi gradu. Fungus enim nonnunquam per plures annos ſine maiore noxa toleratur, hydrops vero longe maius periculum citiusque adfert. Ab oedemate etiam ſede diſcrepat. A tumore vero ſuppuratorio, quo pus in articuli cauo vel poſt inflammationem, quae hunc locum occupauit, vel ex metaſtaſi colligitur, cauſſis et humoris natura diſtinguitur. Iam vero p. 18.
quod curationem morbi attinet, in morbo recente fomenta ex vino, aceto, ſale, addito ſcordio et ruta vel embrochen ex his fomentis aut aquis mineralibus calidis, vel ex aqua calcis cum ſalis ammoniaci lixiuio parata, Noſter adhibere iubet. Vt plurimum tamen et optimo quidem cum ſucceſſu, fomentis ex cicuta, a STOERKIO, vt notum eſt, in noſocomio Pazmariano introducta, vſus eſt. Minime tamen ſub hoc remediorum externorum vſu, interna purgantia hydragoga, ſudorifica et diuretica negligi debent. Inconfirmato autem tumore, qui diſcutientibus non cedit, et iam in aliquam magnitudinem excreuit, p. 19.
ſcalpellum Noſter adhibet, cuius vſum multi ob dira, quae aquae emiſſionem haud raro ſequuntur, ſymptomata reformidarunt *). Cautionem tamen adhibuit omni attentione dignam. Cum enim, vt plurimum, eadem infortunia in aegris ſuis experiretur Cl. Auctor, in quibus vulnus vero ſemper turunda apertum

*) Vide MONRO *on the dropſy* p. 265. SIMSON in *Edimb. Med. Eſſ.* Vol. IV. art. 20.

tum ſeruauerat, frequentioribusque iniectionibus vi-
erat. caſu tandem cognouit, turunda non immiſſa, ve-
nus ligamenti celerrime claudi, nullaque ſympto-
mala hanc operationem ſequi. Hinc vſum turunda
ab hoc tempore optimo cum ſucceſſu reiecit, opera-
tionemque nunc ea ratione inſtituit, vt, inciſione lon-
gitudinali in exteriore genu latere, inter tendinem
muſculi recti, vaſtorum et femoralis, tendinemque
bicipitis, fibulae inſerti, facta, pedem aegri ita moueat
collocetque, vt humor omnis effluat, vulnerisque la-
biis digitorum ope paullulum ad ſe inuicem addu-
ctis, illa emplaſtro glutinante vniat. Operatione
peracta, fomenta ex cicuta adhibet, ſub quorum vſu
tumor forte adhuc relictus, ſaepe enim aliqua humo-
ris portio remanet, ita diſcutitur, vt nunquam Au-
ctor operationem inciſionis repetere debuerit. Mo-
net tamen, illum tantum hydropem curationem ad-
mittere, cuius humor nondum corruptus eſt. Dam-
na vero, quae turunda producit, oriuntur tam
ex irritatione ligamenti, quam inprimis ex aeris ac-
ceſſu. Hinc ſuadet Cl. Auctor, vt et in aliis tumo-
ribus cyſticis, aeris acceſſus omni ratione vitetur, il-
ludque hydatidum in primis exemplo declarat, quas
paruo vulnere incidit, eandemque methodum in hy-
drope ſaccato quoque et empyemate ſuadet, in quo
paruam quoque inciſionem facit, nullisque plane
p. 33. iniectionibus vtitur. Maiores contra abſceſſus,
inprimis ſi pure, per moram iam corrupto, repleti
ſint, cruciata ſectione et magna aperit, neque ma-
ioris portionis cutis iacturam timet, cum facile vul-
neris cicatriſationem obtineat Noſter, agarici fruſtu-
lis vulneris margini applicatis, iisque ſenſim vulneris
centro admotis. Adiectae ſunt huic diſſertationi va-
riae aliae obſeruationes, quas indicaſſe tantum ſuffi-
p. 35. ciat. In hydrope partiali v. c. pectoris, pericardii,
fomenta aromatica adhibere ſuadet, quibus ſcilicet
hydro-

hydropicus humor ad reſorptionem et diſſipationem diſponitur. Mulier, rheumatiſmo ſcapulae et brachii vexata, poſt venaeſectionem, in ſano brachio inſtitutam, in grauiſſimum morbum incidit, tandemque poſt grauia ſymptomata periit, pericardii cauitate, multo pure in eam effuſo, inſigniter aucta. Naeuos maternos optimo cum ſucceſſu Auctor Cl. exſtirpauit, triſtemque huius operationis euentum, quem alii experti ſunt, ex imprudenti cauſticorum, inprimis alcalinorum vſu, ortum duxiſſe autumat. Plures quoque cautiones proponit in repoſitione luxati humeri, pedis et manus obſeruandas. Suturam tendinum, vt plane inutilem reiicit, idemque de ſutura muſculorum, transuerſaliter diſciſſorum, iudicium fert. In herniis incarceratis Viennenſes ſac- p. 43.
culos, auena leuiter toſta repletos, frequenter adhibent, adeo felici quidem cum ſucceſſu, vt multis aliis remediis, fruſtra adplicatis, et operatione iam concluſa, ſaepe foeminae aegrum ſimplici hoc remedio ſeruauerint.

XI.

B. S. ALBINI academicarum annotationum liber ſeptimus. Continet anatomica, phyſiologica, pathologica. Lugduni Batauorum apud I. et H. Verbeck. 1766. 4. pl. 14. tab. aen. 3.

Primum caput libri ſeptimi annotationum acade- p. 3.
micarum Illuſtris ALBINI, continet elegantem et ſubtilem diſputationem, de vera ratione muſculi biuentris ſeu digaſtrici maxillae eiusque vſu, de quo eruditos multum inter ſe diſcrepare, neminem fugit. Docet vero primum Cl. Auctor contra COWPERUM, hos muſculos omnino, ſi recta quoque ab origine ſua pone proceſſum mammillarem, ad maxillam

procederent, omnino maxillam deducere posse, porro, hos musculos, qui musculi stylohyoidei fibras tendine suo penetrant, minime ab eo musculo ita retineri, vt maxillam, mutata directione, deorsum trahant. Probat enim, styloideum musculum nimis debilem esse, neque tendinem semper per illum progredi. Vulgaris vero fabricae causſam ponit in compositione partium, ostenditque, stylohyoideum proprie constare duobus musculis, a principio et in fine, vel aliquando in totum diuisis, relicta vt plurimum in medio fissura aliqua, per quam tendo procedit. Idem hoc valet de trochlea aut annulo, quem nonnulli scriptores hoc in loco adesse, maxillaeque depressioni inseruire voluerunt, licet ea membrana, quae a musculis ossis hyoidei ad digastricum protenditur, omnino trochleae speciem quodammodo referat. Neque in vniuersum maxilla versus hoc os deprimitur, aut deprimi potest. Musculi enim huius ossis sternohyoidei, coracoidei et reliqui, nimis debiles sunt, qui biuentrium contractioni resistant, eoque, quo maxilla aperitur tempore, hoc os firmare possint. Sub deductione porro maxillae, quae biuentrium ope fit, ossis hyoidei et laryngis adscensus minime prohibetur, aut adscensu illo maxillae deductio impeditur, vel ad maxillae deductionem requiritur, vt os hyoideum fixum primum reddatur, aut deorsum trahatur. Maxillam vero sub deductione vulgo adducimus, non quod eam sub nixu deglutiendi deducere nequeamus, sed quod tantum, ore clauso, cibus ex ore ad fauces pelli possit. Neque maxilla, si quoque versus os hyoideum traheretur, illud os deprimeret, cum illud in homine viuo, partibus nondum collapsis et laxioribus redditis, circa altitudinem imi menti, maxillaque deducta, adhuc altius positum sit, et maxilla in deductione non de-
p. 10. scendat, sed retrorsum flectatur, ac, vti Cl. Auctor loquitur,

loquitur, circuli partem describat, cuius radius in centro mobilis est. His vberius explicatis, docet Ill. ALBINUS, biuentres non alio in loco, neque alia ratione collocari potuisse, cum, propius ad articulos inserti, nimis breues fuissent, nec in occipite locus sit eorum insertioni aptus, illorumque vis hac ratione insigniter augeatur, vt ea, quae de caussis, cur non ab inferioribus colli partibus oriri debuerint, Ill. ALBINUS habet, taceamus. Os autem aperitur non solum deductione maxillae inferioris, sed et firmata illa, maxilla superior quoque sursum moueri potest. Haec vero actio non, vti Cel. MONRO aliique putarunt, musculorum extensorum capitis ope fit, vt splenii, complexi etc. sed potissimum a digastricis pendet. Prioribus enim musculis contractis, cranium et simul inferior maxilla mouentur, posterioribus vero maxillae deducuntur, cum imo mento firmato, longe alius motus percipiatur, quam capite extensorum ope tantum retrorsum flexo. Progre- p. 17.
ditur deinde Cel. Auctor ad refutationem argumentorum, quibus Cel. MONRO *) biuentres maxillam deducere posse negauit, atque hac occasione vlterius confirmat, quae superius de vero situ ossis hyoidei asseruit. Aponeurosis, qua digastricus cum osse hyoideo connectitur, tenuis et laxa est, nec impedit, quo minus ille musculus ventrium contractione brevior fiat, ipso osse hyoideo immoto. Haec enim membrana laxe tantum tendinem digastrici retinet, et dirigit, ne deflectat. Pluribus quoque argumentis Cel. ALBINUS contra eundem Cel. MONRO probat, non deduci maxillam ope musculorum ossis hyoidei, quos ille pro polygastricis habuerat. Licet enim sub valida deductione maxillae hi musculi quodammodo moueantur, maxillam tamen hoc motu

 aperiri,

*) Vid. *Edimb. Med. Ess.* Vol. I. p. 131. et Vol. III. p. 267.

aperiri, minime probari poteſt. Sub valida enim maxillae deductione ſemper os hyoideum et laryn
p. 26. deorſum premuntur, a quo deſcenſu muſculi illi intumeſcunt, et in vniuerſum, agentibus nonnullis muſculis, vicini quoque irritantur. Vt taceamus, non probabile eſſe, actionem adeo ſimplicem produci tam multiplici muſculorum ordine. Idem quoque officium non competere muſculo latiſſimo colli monet, cui varii, et inter hos HALLERUS in *Elementis*, maxillae deductionem tribuerant. Eſt enim nimis debilis, et contractio eius, quae, deſcendente maxilla, percipitur, a cauſſis, modo enarratis, oritur. Maxilla quoque valide deducta, tamen cutis colli corru-
p. 29. gari poteſt. Vltimo tandem loco Cel. Auctor docet, biuentres in deglutitione os hyoideum non attollere, vti WINSLOVIUS et MONRO putarunt, quorum vltimus propriam hanc muſculi eſſe actionem autumauit. Maxilla enim deducta, nixus deglutiendi edi poteſt, et oſſe hyoideo immoto, tamen hi muſculi recti fiunt. Cauſſam vero, cur digaſtricus in medio tendineus ſit, ponit in ſitu et compoſitione partium vicinarum, quibus alias impedimento fuiſſet.

p. 34. Secundo capite quandam venae emulgentis ſiniſtrae aberrationem Cl. Auctor deſcribit. Haec enim non, vt ſolet, ante aortam, ſed a caua ad renem poſt eam et poſt principium arteriae renalis incedebat, et in progreſſu ſuo ſe circa illam flectebat, tandem vero ad renem, conſueto more, progrediebatur, qua quidem circumflexione regreſſum ſanguinis ex rene multum impediri debuiſſe, quilibet perſpiciet. Simile quid conſtanti naturae lege eo in loco fit, vbi vena caua inferior ab aorta et iliaca ita premitur, vt ſanguis neceſſario cum quodam ſubſultu fluat, et forte arteriarum impreſſione quodammodo in progreſſu ſuo adiuuetur.

Quam-

Quamquam RUYSCHIUS cuticulae vasa et re- p. 36.
ste quidem negauit, possunt tamen, vti Cl. Auctor tertio capite demonstrat, in vera cuticula vascula repleta quodammodo ostendi, quamuis proprie ad ipsam cuticulam non pertineant. Quod si enim cum cuticula simul cutis rescinditur, aut cuticulae crassiori papillarum vasa inhaereant, tunc semper vasa in cuticulae rescissae portione deprehenduntur. Cuticulam quoque habet Ill. ALBINUS, cui vasa extrema impleta inhaerere videntur. Arteriis enim papillarum cutanearum, massa ceracea impletis, materia erupit et deinde, cuticula detracta, vaginulis papillarum ita inhaesit, vt concreta speciem vasculorum referret.

Quarto capite, quod de tunica Ruyschiana et p. 39.
choroidea oculi inscribitur, Cel. ALBINUS docet, se, vti iam olim RUYSCHIUS ad suam sententiam confirmandam notauerat, choroideam omnino in duas tunicas diuisisse, et quidem vasis non repletis, licet RUYSCHIUS affirmauerit, factum hoc esse ab ALBINO post vasorum repletionem. Harum tunicarum interna tenuis est et densa, exterior vero constat vasis, arcte inter se connexis, accedente membranacea interiore, qua et vasis ipsis haec lamina cum interiore coniungitur, sic, vt, nisi dissectis iis, ab ea separari nequeat. In variis vero animalibus et inprimis in balaena sine vlla artificiosa praeparatione exterior ab interiore distincta est. Hinc putat Cel. Auctor, choroideae externam partem ab interna eodem modo distingui posse, vti neruosa intestinorum ab interna distinguitur. Mauult tamen in recensione tunicarum oculi vnicam tantum choroideam numerari.

Capite quinto compositio virginalis eiusque ora p. 43.
describuntur, id est, partes, quibus in virgine introitus in vaginam clauditur, tribus quasi oris, quorum

primum labia cum clitoride, alterum nymphae et margines ſcaphulae, tertium hymen conſtituunt. Addit Auctor Cel. modum, quo, femoribus diductis, etiam haec ora diducuntur.

p. 46. Sexto capite de generatione oſſium diſſerit variasque veterum et recentiorum de oſſificatione ſententias, os ſcilicet ſeminale excrementum eſſe, calore dureſcere, a Deo immediate factum eſſe, ex lenteſcente ſemine fieri (quod VESLINGIUS putauit) ex tendinibus generari (quae STENONIS et CASP. BARTHOLINI eſt ſententia) etc. enarrat et ex parte refutat. Per pulſum arteriarum oſſa dureſcere, PALFYNUS autumauit, cum tamen in foetu, oſſibus in variis locis iam generatis, partes maioribus arteriis vicinae v. c. corpora vertebrarum cartilagineam adhuc naturam habeant. Neque mutuo attritu oſſium cartilaginea additamenta in os vertuntur. In articulis enim pars exterior, quae atteritur, cartilaginea manet, et, attritu illo ſublato, oſſa ancy-

p. 60. loſi confluunt. Preſſioni externae, a pondere vicinarum partium, muſculorum actione etc. Cel. MONRO multum tribuit, qua tamen natura ad oſſium formationem minime indiget, cum ea in variis locis naſcantur, vbi nulla eiuſmodi preſſio reperitur, v. c. in cauitate narium et tympani; vt alia, quibus inprimis ad varia MONRONIS argumenta Auctor Cel. reſpon-

p. 76. det, taceamus. In vniuerſum autem ALBINUS docet, cartilaginis primordium generatum iam in primo embryonis ortu eſſe; quae autem ſit natura interior oſſis et cartilaginis; quomodo fiat, vt cartilaginis in locum os ſuccedat; quomodo ex aſſumtis os et cartilago incrementum ſumant, et qualis ſit natura humoris, has partes nutrientis, ea omnia ſe ignorare fatetur. Addit, ſe non putare, cartilaginem in os abire, et verti, ſed cartilaginis in locum os ſuccedere. Miramur profecto, Cel. ALBINUM

in

in tota hac disputatione eorum, quae recentiores, vt HALLERUS aliique nostri aeui Auctores, de ossificatione proposuerunt, nullam omnino mentionem iniecisse.

Septimo capite, quod de vasis nerui optici eius- p. 77.
que natura spongiosa inscribitur, Cl. Auctor monet, arteriis cerebri impletis, etiam quamplurima vasa impleta in medulla nerui optici reperiri. Spongiosa natura, quam RUYSCHIUS exhibuit, dissecta vascula sunt. Post repletionem arteriarum etiam in pia matre, neruum opticum inuestiente, vascula repleta inuenit.

Notum est, BOERHAAVIUM putasse, arterias p. 79.
cerebri, quum cerebrum adeunt, muscularem tunicam deponere. Ostendit tamen iam LUDWIGIUS in dissertatione *de arteriarum tunicis* *) in carotide interna, cauum cranii ingressa, fibras musculosas adhuc supersesse. Eandem rem Cel. ALBINUS hic proponit, docens, tenuiores quidem fieri arterias, vbi per duram matrem penetrant, sed vidisse se in vertebrali musculosam tunicam absque omni dubio per eas continuari.

Venam cauam circa iliacarum ortum totam con- p. 80.
cretam et veluti cum vertebris vnitam, inuenit Cel. ALBINUS, nullo in partibus, infra hanc concretionem sitis, vitio apparente, licet totum aegri corpus valde extenuatum esset. Non perquisiuit vias, per quas sanguis ab inferioribus partibus ad cor peruenire potuit.

Cum RAVIUS anno huius seculi decimo octauo p. 80.
lithotomiam administraret, calculum forcipe prehendere et extrahere non potuit, ita, vt relinquendus esset in vesica. Cadaueris sectio docuit, calculum in dilatato fine vreteris haerere, vt parte tantum aliqua,

 quam

*) Lipsiae 1739. pag. 25 sequ.

quam attingere, ſed non prehendere chirurgus poterat, in veſicam emineret.

p. 81. Eodem anno BORTELIUS fruſtulum iunci, quod, dum aeger maiorem calculum repellere tentauerat, veſicam intrauerat, ſabulo cruſtatum, ſectionis ope

p. 82. ex veſica protraxit. Singularis quoque figurae calculum, ſeptem drachmarum pondere, LEDELIUS in puero inuenit, qui hic delineatur. Ex duobus quaſi compoſitus erat, inferiorque eius pars haerebat in ſacculo ad dextram veſicae, ſupra vrethram lati digiti interuallo: reliqua vero intra veſicam prominebat. Inferior pars ſacculo ſtricte comprehendebatur, et ab exteriore parte veſicae eminebat. Superior pars glutine tegebatur, et in ſumma parte veluti corroſa erat.

p. 83. Decimo tertio capite de morbo viri cuiuſdam Auctor exponit, qui vrinam per vrethram et per anum ſimul excernebat. Lotium enim ex veſica per vlcus, in tunicis eius natum, quo inteſtini recti tunicae quoque exeſae erant, ad hoc inteſtinum penetrabat. Hinc veſica contracta primum per iter conſuetum et deinde cum ſummo dolore, quia acrimonia vrinae anum laeſerat, per illum prorumpebat.

p. 84. Lienem in pelui ſitum ALBINUS Cel. in quodam cadauere inuenit, ligamentis ſcilicet et vaſis ad hoc viſcus pertinentibus dilatatis. In alio cadauere ſupernumerarium vidit lienem, in inferiore parte maioris poſitum, in membrana, qua cum ventriculo connectitur. Nucis iuglandis magnitudinem habebat, et lati pollicis interuallo a maiore diſtabat.

p. 86. Foemina quaedam tumorem in interiore parte carpi geſtabat, cuti concolorem, ſimilemque in vola habebat. Hi tumores inter ſe ſub carpi ligamento communicabant, ita, vt vno eorum compreſſo, alter mox tenderetur. Tumore in carpo inciſo, effluebat humor vtriusque tumoris, cui plura corpuſcula,

fabis

fabis ſimillima, dura, corneola, admiſta erant. Ea neque adhaerebant ad membranam tumoris, neque adparebat, illa vnquam alicubi adhaeſiſſe, vt mirandum omnino ſit, ea incrementum capere potuiſſe.

Tumorem ſanguineum in palpebra pueri bime- p. 88.
ſtris Ill. ALBINUS feliciter exſtirpauit, ad quem continendum, et celeriter, palpebra illaeſa, reſecandum, tentaculum aliquod excogitauit, fuſius hic deſcriptum et delineatum, ſecundum cuius crura tumorem cultro reſcidit. Curatio feliciter ceſſit, vt nulla nota ſuperſit.

Decimo ſeptimo capite de conſtructione oſſium p. 91.
in vniuerſum Auctor Cel. quaedam monet. Licet cortex adultorum oſſium e foliis conſtet, eiuſmodi tamen folia cartilago non habet, ipſaque haec folia ex compacta tantum raritate oſſium ſenſim oriuntur. Adulta ſcilicet oſſa conſtant ex cortice compactiore, et raritate quadam, pumici ſimili, quae cortici ex interiore parte continuatur, et ab eo continetur. Solidiores ſunt exteriores laminae, quo magis vero interiores fiunt, eo magis poroſae euadunt, et in raritatem vertuntur. Haec ſimiliaque eleganter, vt ſolet, Ill. Auctor deſcribit. Raritatem vero hanc ita p. 95.
degenerare putat, per vim naturae, latenter operantis, ad quam explicandam nulla mechanica cauſſa ſufficit. Medulla, quae omne cauernoſum implet, ſua membrana cauernulis adhaeret, nullo perioſteo interno.

Papillas inteſtinorum tenuium, quas RUYSCHIUS p. 98.
olim in homine propoſuit, factitias eſſe et vitioſas, capite decimo octauo demonſtratur *). Cum enim RUYSCHIUS venas inteſtinorum admodum impleuiſſet, tubercula rubra in interna ſuperficie conſpexit, quae etiam poſt exſiccationem inteſtini remanebant. Non vero papillae ſunt, ſed vitio iniectionis oriun-

*) Vid. *Theſ.* VII. n. 40. IX. n. 62 etc. HALLER. Elem. T. VII. p. 49.

oriuntur, liquore in tunicam neruoſam, quae in villis eſt, extrauaſato, et villis hac ratione repletis et diſtentis, quod ipſi RUYSCHIO iam olim ALBINUS demonſtrauit. Hinc Auctor aegre fert, HALLERUM in *Praelectionibus Boerhaauianis* ſcripſiſſe, ALBINUM papillas has pro villis venoſis albis non repletis habere.

p. 99. Eadem ratione ſe contra ZINNIUM defendit, qui in *deſcriptione oculi humani* aſſeruit, ALBINUM in balaenae oculo oſtendiſſe, vaſa ex proceſſibus ciliaribus ad lentem venire, ſeque a parte poſteriore per eius ſubſtantiam ramoſa diſtribuere. Docet potius ſe nil eiuſmodi demonſtraſſe, ſed *impleto balaenae oculo, oram vitrei, quae circum inhaerentem cryſtallinum eſt, ad quam ligamenta ciliaria pertinent, plane rubram inueniſſe, et vbi ea exteriore circuitu definit, ibi per totam circumferentiam rubra fila vitreo ſeſe immergere, ſubtiliſſima, non ramoſa, alia iuxta alia, ſimillima vaſis.* Vaſculum ad poſteriorem partem lentis pertinens, quod RUYSCHIUS in oue, ALBINUS Lib. I. cap. 7 *harum annotationum* in homine deſcripſit, olim LIEBERKÜHNIUS in ſcholis ALBINI vidit, iconemque ZINNIO dedit.

p. 101. Vltimo tandem capite ALBINUS vitam ſuam, quae in BRUCKERI *Pinacotheca* continetur, emendat. Docet vero: ſe non maiorem induſtriam in anatomia, quam in reliquis medicinae partibus, collocaſſe: ſe non RUYSCHII diſcipulum fuiſſe: ſe non ſine examine gradum doctoris accepiſſe, et alia ſimilia.

XII.

Vermiſchte Bemerkungen und Unterſuchungen der ausübenden Arzeneywiſſenſchaft, dem Drucke übergeben von GEORGE HEUERMANN, *Doktor und Profeſſor der Arzeneygelahrheit zu Coppenhagen. Erſter Band. Coppenhagen und Leipzig, verlegts Gabriel Chriſtian Rothens Wittwe und Proft 1765. 8. 1 Alph. nebſt 4 Kupfertaf.*

h. e.

Miſcellaneae annotationes et diſquiſitiones medico-practicae, traditae a GEORGIO HEUERMANN. M. D.

Quoniam multorum remediorum vera completaque deſtituti ſunt medentes cognitione, morborumque cauſſae proximae plurimum latent, atque multas morborum mutationes, quae ab effectibus et functionibus partium corporis pendent, remediorum viribus tribuuntur, ſeu ex occultis ſaepe cauſſis, vt ſympathia, antipathia, imo influxu ſtellarum deriuantur explicanturque, et quoniam tandem noſodochiis regii Danici exercitus Cl. Auctor praefuit, multosque militum morbos obſeruauit, ſui eſſe arbitratus eſt, vti ex praefatione opuſculi huius, quod indicare iam animus eſt, patet, eas morborum obſeruationes, quae cum eruditis communicari mereantur, non, vti plerumque fit, obliuioni tradere, ſed publici iuris facere. Atque ita in hoc ipſo libro, quem iam indicamus et qui decem conſtat obſeruationibus, horum laudabilium conatuum fecit initium.

Prima obſeruatio verſatur in *recenſendis diuerſis febrium ſpeciebus*, quarum ſanandarum et obſeruandarum

darum Cl. Auctori data est opportunitas in nosodochio. Nimis quamquam amplae hae febrium sunt obseruationes, quam vt indicari queant a nobis, tamen quaedam saltem breuiter commemorare non incongruum duximus. Omnino Cl. Auctor vomitoria laxantibus praefert ad febres debellandas, ceterum autem partim extracta amara, partim alia medicamenta, omnibus fere corticem Peruuianum et opium adhibuit. Vltimo tamen interdum saepius, quam necessarium et salutare aegris fuit, vsum esse nobis videtur. Fatetur enim ipse, se illud non, nisi praemissis necessariis remediis, dedisse atque ita non definire posse, vtrum febris regularis per opium sanari queat an non? Tandem miserias eorum describit, qui Calcutae incarcerati fuerant, et ob inclusi nec renouati aeris putredinem perierant, cuius tristissimae historiae, nec non aliarum similium a Cl. ZIMMERMANNO in libro ab eo conscripto *) iam mentio facta, et a nobis cum Lectoribus communicata est **).

p. 139. Secunda obseruatio spectat *vsum corticis Peruuiani*, in inflammatione, gangraena et sphacelo, spasmis, malo hysterico, haemorrhagiis, cachexia, in suppresso debito lunari, tabe aliisque eiusmodi morbis. In puluere potissimum laudat Noster chinam, et infuso eius atque decocto parum virium et extracto adhuc minus tribuit. Quibus puluis non dari potest, illis suadet essentiam, cuius duabus vnciis tot vires adscribit, quot vni vnciae pulueris. Si aluum nimis apertum facit, vomitoria et opiata praedicat, si obstructiones efficit, cum rhabarbaro commiscet corticem. Mox ante paroxysmum febrilem eius vsum dissuadet,

*) *Von der Erfahrung in der Arzeneykunst, Zürch* 1764. 8. *II. Th. p.* 181.

**) Vid. Comm. nostr. Vol. XIII. p. 481.

diſſuadet, quoniam materiae morboſae eliminationi, febrem turbando et ſudorem impediendo officit. Nec quidquam praeter herbas, ſalia et extracta amara cum ea commiſcendum eſſe arbitratur.

Tertia obſeruatio varias *dyſenteriae* ſpecies continet, quibus Hafniae 1757. Rendsburgi 1759. et Kellenhuſae 1761. milites laborarunt. Quarum ratione deſcripta et cauſſis accurate expenſis, ad medendi methodum Cl. Auctor progreditur, et, reiectis terris, bolo armena, lemnia etc. potius adhibuit confectionem anacardinam diſpenſatorii Brandenburgici, gummi Arabicum, ſemina cydoniorum, papaueris et quatuor frigida, aloen, cum ſapone mixtam, martialia, opiata, carminatiua, vomitoria, diaphoretica et diuretica, nec minus veſicatoria, epiſpaſtica. Sinapiſmi, imo cataplaſmata calida, abdomini applicata, dolores leniuerunt et dyſenterias coercuerunt. Aqua calcis, cum lacte commiſta, nihil praeſtitit, et corticem mangoſtanae et pocgerebae incaſſum exhibuit. Vitrum antimonii ceratum inter minus tuta medicamenta, quoniam ſemper, cera per liquores ventriculi liquefacta, auxit dyſſenterias, refert Noſter, miraturque, Cl. PRINGLE, id tam ſaepe ſuaſiſſe. Extractum cicutae ſemper auxit dyſenterias. Hoc adeo laudatum a ROSENSTEINIO aliisque ſpecificum antidyſentericum, faba Pechurei (*Pecherim*) Braſilienſis, de qua Cl. BAECK *) iam egit, magnopere commendat, atque inter triginta, viginti aegros ſanos reddidit. Dedit nimirum illud in puluere, et quidem duos ſcrupulos bis quotidie, praemiſſis vomitoriis et laxantibus, ita vt, ſi dolorum vehementia nimia p. 170.

*) Kongl. Vetenſkaps Academiens Handlingar p. 74. För Ar 1759. Vol. XX. Stockholm 1759. 8. Comm. noſtr. Vol. X. p. 198. et Vol. XIV. p. 516.

nimia erat, nocte appropinquante, opiatum exhibe-
ret. Poſt mortem autem, quem multi paſſi ſunt,
nunquam, vti Cl. PRINGLE obſeruauit, liquorum
copiam, ſed potius relaxationem partium Cl. Auctor
animaduertit, ideoque ex variis experimentis, cum
eorum, qui dyſenteria perierunt, bile inſtitutis, con-
tra DEGNERUM aſſerit, bilis corruptionem non eſ-
ſe huius morbi cauſſam; qua ſententia plane relicta,
variis huius morbi cauſſis varia oppoſuit medica-
menta, quorum plurima ſupra nominauimus.

p. 222. Quarta obſeruatio agit *de hydrope.* Quot cauita-
tes corporis humani, tot quoque conſtituit Cl. Au-
ctor hydropis ſpecies. Inprimis vero conſiderat
anaſarcam et aſciten, quorum originem non in he-
patis corruptione et vlceribus, nec in venae porta-
rum obſtructione, quoniam plus, quam duodecim
hydropicos, ſano ac integro hepate inſtructos, vi-
dit, ſed in aucta ſecretione et imminuta reſorptione
ſeri, per debilitatem neruoſam et obſtructiones glan-
p. 233. dularum inducta, quaerit. Quod ad huius morbi
curationem attinet, praemiſſis reſoluentibus, aſciti-
cis praecipue exhibuit medicamenta draſtica, e. c.
viginti grana gummi guttae, cum duobus ſcrupulis
radicis hellebori nigri coniuncta pro vna doſi, quae,
etiamſi octo modo, vti refert Cl. Auctor, aeger ha-
buit euacuationes, perquam nimia nobis videtur,
praeſertim cum quarto die poſt, idem medicamen-
tum eadem doſi aegro propinaret, et ſic aliquoties
continuaret. Vomitoria, frictiones et corticem Pe-
ruuianum in hydrope ſaccato et a male ſanatis febri-
bus orto, inprimis efficacia reperit Noſter. Caete-
rum ſuccos expreſſos ebuli, corticis ſambuci, geni-
ſtae, millepedum cum fructu vſurpauit: e contrario
puluerem cantharidum, aſarum, allium, coccionel-
lam, ſquillam, tartarum tartariſatum aliaque ſpecifi-

ca

et frustra plerumque dedit. In obstructionibus glandularum mesaraicarum et omnino abdominis magopere extollit puluerem radicis colchici, cuius quinor, vsque octo parua cochlearia quotidie sex aegris simul cum decocto corticis Peruuiani et herbae genistae atque ter quaterue triginta, seu quadraginta pilulis extracti cicutae, dum singula duo ponderabat grana, optimo cum successu exhibuit, nec quidquam venenati in colchico deprehendit. Quam ob causam putat quoque, venenatam huius radicis indolem in lacteo succo herbae recentis magis, quam exsiccatae radicis quaerendam esse. Extrahunt napelli et lapides, qui pedibus crocodillorum adhaerent et Angli *alligatores* appellant, quibuscum Americani hydropi medentur, non potuit reperire. Atque ita multos imo plurimos hydropicos, vti ex indice aegrorum, quem addidit, elucet, sanauit.

Quibus omnibus subiunxit quoque Cl. Auctor p. 244.
paracentheſin, vbi cultrum quidem praefert acui triquetrae, quoniam foramen mox concidit, magna tamen adhibita cautione, ne nimis profunda fiat apertura, alias potius suadet acum triquetram cum fistula, vbi plane nihil timendum est. Adiecit propterea cones acus triquetrae, quibus et accedit speculum oculi. Peracta autem operatione, iniectiones, ab aliis laudatas, Cl. Auctor penitus dissuadet, cum nec a valis excipi, nec, adstringendis illis, seri affluxus impediri possit, imo contextum cellulosum magis magisque impleant atque inundent.

Finem huius sectionis imponit hydropis, renem sinistrum occupantis, descriptio, qui in viro quinquaginta annorum, semper de doloribus versus dorsum sinistri lateris conquesto, et mortuo, ex obstructione apperturae vreteris in pelui renis ortus erat. Ibi enim, aperto cadauere, magnus apparebat tumor,

qui multum aquae, odorem vrinae spargentis, continuerat, et totam ferme renis substantiam mutauerat. Quibus omnibus accurate narratis, ad diagnosin curationemque huius morbi venit Cl. Auctor, vtriusque quidem difficultatem agnoscit, putat tamen, eandem operationem, quam supra commemorauimus, et hic esse eligendam. Quapropter suadet, scalpello fibras spuria costa iuxta musculum quadratum et sacrolumbarem dorsi, quoniam hic ob nimiam extensionem semper ren conspicitur, incisionem facere, renem reue disquisito, eum cultro seu acu triquetra incidere et, aqua deriuata, argenteam cannulam immittere, quo concretio impediatur, et fistulam quali, per quam vrina continuo exstillare possit, ibi formare. Ad operationem autem confirmandam, nec frustra instituendam, Cl. Auctor huius morbi diagnosin accurate persequitur. Cauſſis itaque, quae sunt inflammatio renis, ac inprimis quidem peluis, cellulus, vreteris superiori parti inhaerens, adipis coacernatio circa pelum renum, tumores, contextum cellulosum ibi occupantes, spasmus, diuturna vrinae retentio etc. perpensis, respiciendum esse arbitratur Noster, potissimum ad grauitatem et duram pressionem, corpore praesertim versus latus aegrotum inflexo, in regione lumbari; dein ad praeternaturalem tumorem fluctuantem, qui, digitis versus eum pressis, facile intelligitur, nec raro quaedam sentitur fluctuatio ab ipso aegro. Quae omnia ferme cum ex nimia quoque intestinorum repletione et expansione possint proficisci, suadet Noster, euacuationem primarum viarum praemittere, qua absoluta, omnia haec, si a repletione nimia intestinorum orta sint, euanescent; quod si vero ab aqua, in rene stagnante nunquam.

p. 256. Quinta obseruatio *de cataracta eiusque operatione per extractionem* agit. Primus Cl. Auctor

ctor fuit, qui methodo Cl. DAVIEL in Dania hanc optimo cum successu instituit per extractionem operationem, cum CYRI et TAYLORI cataractae operatio per depositionem saepe male succederet. Ac praefert quidem extractionem depositioni, ita tamen, vt ne depositionem plane reiiciat, et tandem monstrat, vtramque interdum non iuuare. Cataracta nimis mollis, vt lactea, quoniam pressioni acus aeque latae ac triangularis semper cedit, nunquam deponi potest, sed extrahi debet: e contrario autem, oculo spastice contracto, methodus, cataractam deponendi, plus auxilii afferre potest, quam eam extrahendi, quamquam lens propter spasticam oculi contractionem facilius quoque ascendi potest, quam in oculo de reliquo sano. Porro membranaceae cataractae, qua crystallina lens ab anteriori eius superficie obducitur et incrassatur, tutius per extractionem ob mollitiem, quam per depositionem medetur. Cataracta autem nimis dura ac magna apparente, depositionem Noster, quoniam illa, iridem permeans, non solum magnos excitat dolores, sed et inaequalitates iridis relinquit, anteponit extractioni. Laesa tandem retina, nec depositio nec extractio cataractae iuuant. Quae omnia exemplis a Cl. Auctore illustrantur.

Sexta obseruatio quaedam *de maculis corneae transparentis* habet. Quantum ad has delendas profit lapis infernalis, cuius vis erodendi, ne palpebris noceat, eas vnguento de tutia, coniuncto cum puluere gummi Arabici, illiniuit, externe cautae scarificationes, interne vero mercurius dulcis, cuius vires solutionem mercurii corrosiui superare dicuntur, et tandem opium, ostendit hic Cl. Auctor, et vulgare remedium sacchari Canariensis ei non adeo efficax videtur, vt saliua sani hominis, qui sua lingua saepe p. 274.

has maculas lambit. Tandem monſtrat Cl. Auctor ſaliuationem interdum neceſſariam eſſe ad harum maculas abſtergendas, praeſertim eas, quae poſt variolas remanent.

p. 285. In ſeptima obſeruatione proponitur *hiſtoria mulieris ſexaginta annorum, quae dimidiam propemodum vitae partem lectulo affixa aegrotauit.* Haec materia de parte ſpiritu vini et nicotiana, vſque ad vltimum ante eius obitum diem, vbi celeriter periit, conſeruata eſt. Qua mortua, ſectio cadaueris inſtituebatur, et viſcera abdominalia, vt hepar et lien, exſiccata, obdurataque inter ſe concreta conſpiciebantur. In thorace aderat aqua, pulmones cum pleura concreti et obdurati erant, cor flaccidum et anterior ventriculus dimidia ex parte minor poſteriori reperiebatur. Aorta innominata plane deerat, et aſcendens duplo maior deprehendebatur, quam ſolet; deſcendens vero, ſimulac permeabat diaphragma, obdurata iuſtoque minor apparebat, et ſic continuabatur vſque ad arterias popliteas, ceterum huc et illuc obdurationes arteriarum, quam mutationem Cl. Auctor non oſſificationem, vti alii, ſed calculoſam mutationem appellat, inueniebantur. In cerebro nullae obſeruabantur mutationes. Extremitates pariter ſuperiores ac inferiores ob muſculorum exſiccationem et concretionem maximam partem immobiles erant, genua difformia et oſſa inferiorum extremitatum leuiora ſolito, inſimulque ita tenuia, vt firma externa ſubſtantia, verſus lucem pellucida, et friabilis euaderet, quapropter et ſiniſtra inferior extremitas, dum mouebatur, inopinato fracta eſt. Omnibus interea medullam in ſe continentibus et contextu celluloſo adipe impleto.

p. 295. In octaua obſeruatione *inquilini Wiesmersdorfienſis, ob notabile hepatis vlcus demortui*, hiſtoria narratur.

tus. Inter alias, aperto cadauere, praeternaturales mutationes reperit Noſter hepar plane corruptum et multis hydatidibus variae magnitudinis, quarum numerus, vſque ad ſexcentas excurrebat, refertum, pulmonem ſiniſtrum deperditum, nec minus ſanguinis venoſi defectum, quae omnes vitae generi inordinato, inprimis nimio potui ſpirituoſo, vehementioribus animi perturbationibus, et tandem motus interniſſioni, vt proximae cauſſae ſtagnationis humorum in pulmone aeque ac in hepate, ſunt tribuendae. Memoratu digniſſimae huius ſectionis videntur Noſtro hydatidum obſeruationes, multitudinis pariter ac magnitudinis ergo. Quarum originem ducit Cl. Auctor ex ſtagnatione lymphaticorum humorum in vaſis ſuis, quae ibi, vbi capſulam GLISSONII adeunt, ſeu in cyſternam lumbarem abeunt, comprimuntur, et dicit propterea contra MALPHIGIUM et BOERHAAVIUM, qui in folliculis hepatis, e quibus acini hepatici componuntur, hydatides oriri credebant, cum ſtructurae hepatis contrarietur, nec vnquam accuratiſſimae diſquiſitiones et iniectiones anatomicae eiuſmodi detegere potuerint folliculos et alibi quoque, vbi glanduloſa ſtructura, vt in hepate conſpicitur, plane deeſt, appareant hydatides.

Nona obſeruatio exhibet *deſcriptionem ſpinae bifidae* in neonato infante. Tumore nimirum ſpinae dorſalis, qui in vtero iam ſeſe formauerat, et cuius inciſionem Cl. Auctor diſſuaſerat, aperto, morte, vti ſemper fieri ſolet, abripiebatur infans. Apparebat hic tumor in vltima dorſi vertebra et prima vertebra lumborum, qui ex nimia harum partium flexura verſus anteriorem corporis partem, et ita ex nimis curuo foetus ſitu ortus eſſe a Noſtro dicitur. Nam ſitum foetus praeternaturalem in vtero Cl. Auctor proximam eſſe cauſſam hydrocephalorum et omnium p. 304.

omnino vitiorum, neonatis communium, erud. Cauſſa vero, cur ita vitiatos vel in vtero perire eos teat vel non diu poſt partum viuant, poſita eſſe ſtro videtur in neruorum, ad medullam ſpinal pertinentium, perpetua preſſione, ſeu a concretione liquorum, ibi collectorum, oborta; indeque dit quoque idem, quod, luxatione vertebrarum cta, fieri ſolet, nimirum mors. Id quod declarat Auctor ex conuulſionibus, quibus ii, quorum modi tumores aperiuntur, afficiuntur et pereunt; porro ex eo, quod, ſi ſuperiorem ſpinae dorſalis partem tales occupat tumor, ob neruorum magnitudinem multitudinem celerior mors, ſi vero inferiorem ob minorem neruorum copiam tardior ſubſequatur.

p. 313. In decima ac vltima obſeruatione deſcribitur, *monſtrum, quod ſimul cum infante rite formato ſexto propemodum grauidatis menſe mortuum eſt* natum. Nimio naturae luſu commoto, placuit Noſtro illud ad tertiam fere partem minus, quam vere erat, secari incidere et cum eruditis communicare. Ob rerum autem hic animaduertendarum multitudinem, brevitatis gratia, quae nobis eſt obſeruanda, non potuimus non, in eo tantum indicando acquieſcere, et noſtros Lectores ad ipſum librum amandare.

XIII.

Elementa Pathologiae vniuerſae Auctore D. ADAMO NIETZKI, Halae ad Salam. Impenſis et typis Io. Iac. Curtii 1766. 8vo. alph. 1. pl. 14.

Partes doctrinae medicae, quae in nexu doctrinae vniuerſae ſiue ſyſtematis proponuntur, et in compendium redactae, inſtitutioni academicae inſeruiunt, ſi a praeſtantiſſimis profeſſoribus elaborantur, crebra et repetita explicatione ſubinde accuratius ordinantur et poliuntur, non ſolum Auctores ad inſtitutionem ſuccinctam et vtilem diſcipulis tradendam ducunt, ſed aliis quoque Doctoribus occaſionem ad fundamenta doctrinarum examinanda et ſtabilienda praebent. Simile fuit ſtudium Cl. Auctoris, qui ſcriptas plagulas horum elementorum pathologiae cum diſcipulis ſuis communicauit, quotannis explicauit, et nunc reuiſas et correctas publici iuris fecit. Huius libelli ordinem nunc breuiter adumbrabimus, quo nonnulla, ex ſpeciali doctrina lecta, ſubiungere queamus.

In prolegomenis de pathologia, morbis, cauſſis earumque ſignis in genere agit, vniuerſa vero pathologia in quatuor libris traditur, in quorum primo de morbis ſimplicibus, in ſecundo de morbis compoſitis, in tertio de morbis complicatis, in quarto tandem de morte agitur.

Pathologia eſt illa medicinae theoreticae pars, p. 1.
quae de morbis agit; morbus vero eſt diſſenſus functionum corporis humani reſpectu ſuae conſeruationis. Cum in pathologia ratio ſufficiens reddenda ſit, cur morbi actum conſequantur, cauſſae efficientes ſufficienter eruendae ſunt, minime tamen tantum poſſibiles, ſed actuales, ergo et concauſſae.

Simili ratione ea, quae a morbis dependent, hoc est, effectus et ſigna. Differentia pathologiae in generalem et ſpecialem ex ratione, quam erga ſe habent genus et ſpecies diiudicantur, datur itaque tandem pathologia indiuidui. Ex hac re intelligitur differentia hiſtoriae morbi, quae cum ſit complexus illarum denominationum ſubiecti morbo obnoxii, quae faciunt ad cognitionem morbi, hiſtoria morbi ſubiecti abſtracti dicitur, cuius ſubiectum eſt genus et ſpecies, concreti vero, cuius ſubiectum eſt indiuiduum, requirit ideo determinationes cauſſarum, effectuum et ſignorum. His in vniuerſum praemiſſis, fontes pathologiae ſiue diuerſas diſciplinas philoſophicas, phyſicas et medicas indicat Cl. Auctor.

p. 8. In idea morbi euoluenda, cum ad diſſenſum functionum reſpiciat, ſimplex dicitur, in quo vna tantum functio, compoſitus, in quo plures ſimul diſſentiunt. In compoſito Noſter potiſſimum attendit: num determinentur inter ſe, vel non; ſic morbus idiopathicus non determinatur per alium, ſymptomaticus vero per alium determinatur, hic, ſi deſinit determinari per ſuum idiopathicum, vel etiam per alium in idiopathicum degenerat, morbus itaque complicatus eſt compoſitus ex duobus vel pluribus idiopathicis. Quamquam vero morbus ſimplex in corpore humano nunquam exiſtere poteſt, a ſimpliciſſimis tamen in pathologia pragmatica incipiendum eſſe, Cl. Auctor vrget, qui ſimili ratione de reliquis morborum differentiis, v. c. acuti, chronici, haereditarii, letalis, ſalutaris, maioris, minoris, typici, atypici, periodici, contagioſi cet. exponit.

p. 24. Cauſſa morbi rationem eius in ſe continet, et afficiens eſt, ſi eius actio eſt ratio exiſtentiae morbi, et ſi haec ratio ſufficiens fuerit, cauſſa morbi erit efficiens ſufficiens, haec ſemper eſt ens quoddam in concreto, ratio vero ſufficiens morbi ens aliquod in abſtracto.

abstracto. Si plures causſae in morbo occurrunt, concausſae dicuntur. His ab initio praemiſſis, ad proximas et remotas, materiales et immateriales causſas progreditur, et relationes causſarum ad varios morbos definit. Sex res non naturales vt causſas morborum conſiderat, et quanquam in iis non omnes contineri affirmet, de methodo tamen in alias occultas inquirendi agit, cuius diſquiſitionis ſubſidia, p. 39. in phyſica ad corpus humanum applicata, et decenti earum rerum naturalium cognitione, quae in nexum aliquem cum corpore humano veniunt; in multiplici obſeruatione circa ordinarium in corpore humano; in accurata collectione ſignorum morbi et causſae morbi, deprehendere videtur.

Pauca nunc de ſignis morborum horumque causſarum in genere proponit, et cum in morbis ex ipſa rei eſſentia ſigna peti debeant, quae naturalia ſunt, artificialia, quae ex arbitrio intelligentis formantur, non admittit, illorum differentias, in demonſtratiua, prognoſtica et recordatiua, nec non alia, ex his pendentia, porro declarat. p. 40.

Haec in prolegomenis habet. Nunc ad librum p. 45. primum tranſit, et in ſectione prima morbos ſolidorum conſiderat. In genere hic monet, elementa eſſe particulas minimas mixti, ex quibus partes organicae componuntur; cohaerent vero ob motum inteſtinum partium miſcibilium, quod certa aquae proportione attingitur, ne partes ſolidae vel friabiles vel fluidae fiant, hinc ſiccitatem et humiditatem elementorum vt morbos primos ſolidorum conſiderat, ex his rigiditatem, debilitatem et continui ſolutionem deducit; haec vltima vlterius in putrefactione, ambuſtione, arroſione et diſlocatione definitur et tandem ad incrementum et decrementum partium reſpicitur. Species poſtea morborum ſimplicium

p. 52. in ossibus, cartilaginibus, fibris partium flexibilium genere et vasorum in specie perpenduntur.

p. 66. Exhibeamus nunc ex vltimo capite specimen. Caussa constrictionis est in fibris, distensio per sanguinem impressum et materiam obstructam efficitur. Vibratio vasorum est eorundem contractio et dilatatio successiua. Inflammatio est perquam vehemens vasorum sanguineorum vibratio cum eorundem distensione. Gangraena est ille gradus inflammationis, qui proxime antecedit plenariam vibrandi impotentiam vasorum. Sphacelus est putrefactio vasis sanguinei a sanguinis ibidem putrefactione producta. Porro caussas obstructionis et concrescentiae vasorum sanguineorum declarat, et pulsus differentias definit, v. c. pulsus celer est, si arteria post systolen, in instanti dilatatur, si haec dilatatio valde successiua est, tardus dicitur; pulsus frequens circa datum aliquod tempus saepius redit, rarus ei opponitur. Pulsus magnus est, qui sub digito tangente solito maius spatium secundum latitudinem implere videtur, siue qui ex lato et longo componitur. Dicitur vero latus, quando arteria secundum sui latitudinem, et longus, si illa secundum sui altitudinem sub digito tangente magnam lineam describere videtur. Magno opponitur paruus. Pulsus fortis est, cuius impetus tangenti insignis esse videtur; huic opponitur debilis. Mittimus reliquas differentias earumque caussas, et tantum monemus aneurysmatis, varicis, palpitationis et tremoris cordis, anxietatis praecordiorum cet. ideas inde declarari. v. c. Palpitatio cordis est pulsus cordis fortis, anxietas praecordiorum siue angor cordis est distensio eius cum debilitate, tremor cordis est pulsus eius celer, debilis et frequens.

p. 77. Sectio secunda de morbis fluidorum simplicibus in genere et in specie agit. In his quantitas, motus

intestinus

inteſtinus et progreſſiuus et fluidi mixtio attenduntur. Plethora eſt maior ſanguinis quantitas, quam cum ſanitate congruit, ſimplex eſt haec quantitas recta, integris reliquis qualitatibus, compoſitae aliae qualitates vitioſae adhaerent; plethora ad vaſa haec ſolum a ſanguine turgida ſiſtit, ad vires aliis quoque moleſtiis ſtipata eſt. Simili ratione depletio vaſorum, orgaſmus humorum, ſtaſis et congeſtio eorum, putredo, extrauaſatio, haemorrhagia, ſpiſſitudo ſeu nimia denſitas, viſciditas et tenuitas humorum, acrimonia et cacochymia ſiue dyſcraſia eorum definiuntur.

Sectio tertia de partium flexilium integrum quid efficientium morbis inſtar ſimplicium conſiderandis agit. p. 84. In capite itaque primo de his in genere diſſeritur, ſpeciatim vero de morbis ſimplicibus cutis capite ſecundo, partium muſcularium tertio, cauitatum et partium intra illas contentarum quarto, ſenſuum externorum quinto et internorum ſexto capite agitur. Exhibeamus ſpecimen de partium muſcularium morbis. p. 99. Muſculi itaque et membranae ſpaſmo corripi poſſunt, hanc ſupra dixit contractionem fibrae inuoluntariam, vel maiorem vel plus perdurantem, quam neceſſarium eſt ad ſanitatem. In his fundamentum diuiſionis ex locorum affectorum differentia, et varietate ſitus partium ſpaſmo affectarum et in eo perdurantium aſſumitur. Arthritis eſt ſpaſmus, qui in partibus muſcularibus circa articulos oboritur, rheumatiſmus vero eſt ſpaſmus partium muſcularium, in aliis locis ſitarum, hinc hemicraniam, pleuritidem ſpuriam et lumbaginem ad rheumatiſmum refert. Tetanus eſt ſpaſmus, quo totum corpus ita corripitur, vt in ſitu erecto immotum perſiſtat. Catalepſis eſt ſpaſmus, quo corpus affectum in tali ſitu perſiſtit, quam ante illius aduentum habebat. Aſthma conuulſiuum eſt ſpaſmus muſcu-

musculorum pectoris et laryngis, incubus ideo et asthma conuulsiuum, durante somno natum. Paralysis siue resolutio neruorum est debilitas in partibus muscularibus, qua illae vel sensu vel potentia motum exercendi vel vtrisque simul carent. Asthma defectiuum est paralysis musculorum pectoris et laryngis. Apoplexia est paralysis vera vniuersalis. Atrophia in genere dicitur defectus nutritionis in partibus muscularibus praesertim conspicuus, aridura autem est atrophia ad partes musculares membrorum, circa illorum praecipue articulos relata.

p. 133. Haec ideo ex multis, a Cl. Auctore propositis, selegimus, quo idea operis in ordine doctrinae et definitionibus pathologicis appareat. Liber secundus, qui de morbis compositis agit, in centum et quinquaginta octo capitibus ea, quae in simplicibus morbis proposita sunt, vberius declarat, methodum itaque doctrinae paucis exemplis indicabimus.

p. 145. Caput octauum de vulneribus in genere, agit. In vulnere, magnas arterias non laedente, labia, causa etiam externa remota, a se inuicem resiliunt, sanguis, ab initio cum impetu fluens, sensim sistitur, et crusta cauo vulneris innascitur, tum liquidum tenue rubellum manat, labia vulneris inflammantur, dolor increscit, et febris ingruit, liquidum tenax, flauescentis coloris, pus, nascitur, et dolor et febris cessant, vulnus a fundo sursum et ab ambitu versus centrum increscit, coit margo, vulnus exsiccatur, cicatrice relicta. Cum fibrae vasorum elasticae sint, labia resiliunt, diameter vasorum angustior redditur, magnam haemorrhagiam excipit moderata, inflammationis caussa ita existente, effectus in dolore et febri sequuntur, cessante inflammatione, suppuratio succedit, tunc etiam vasa, non amplius distenta, propius ad se inuicem accedunt, et consolidationis ratio cernitur.

Vulnera

Vulnera externa dignoſcuntur aſpectu, interna ex cauſſis et ſymptomatibus patent. Prognoſis vulnerum ex qualitate partis vulneratae, magnitudine vulneris et inflammatione definitur.

Caput viceſimum primum de aſthmate ſpaſtico ſeu conuulſiuo agit. Huic obnoxii ſunt, qui congeſtiones humorum ad pectus experiuntur, conſuetas ſanſationes ad pectus negligunt, qui flatulentia ex conſtrictione et diſtenſione viſcerum abdominalium excruciantur. Phaenomena in his ſunt, torpor et laſſitudo corporis, ſenſus compreſſionis thoracis circa ſcapulas, facilis inde exſpiratio, difficilis inſpiratio, palpitatio cordis, turgida vaſa ad tempora, facies inaequaliter rubicunda, vertigo et dyſpnoea. Solutio morbi poſt alui excretionem vel haemorrhoidum et menſium fluxum ſequitur; ratio autem horum phaenomenorum in ſequentibus explicatur. p. 187.

Quemadmodum autem Noſter aſthma hoc ad ſpaſticos morbos, ſic aſthma defectiuum capite viceſimo quarto ad paralyſin refert. Hic enim morbus aſthma ſpaſticum excipere ſolet, morbis pulmonum et diaphragmatis ſaepe accedit, hypochondriacis, hyſtericis et hydropicis familiaris eſt, praeſente tuſſi, non adeo periculoſum eſt, ſed ea ſoluitur, et aegri fluxu menſtruo et haemorrhoidali leuantur, hoc tamen in catarrhum ſuffocatiuum interdum, ideoque perniciem aegri, tranſit. p. 199.

In excretione menſtruorum monet Cl. Auctor, eam ſe ad phaſes lunae accommodare, virgines et mulieres ad annum circiter viceſimum primum circa nouilunium; poſtea ad annum triceſimum intra tempus nouilunii et plenilunii; ab anno triceſimo quinto vſque ad annum quadrageſimum ſecundum in plenilunio vel paulo poſt; ab anno tandem quadrageſimo ſecundo ad quinquageſimum, vbi ceſſant decreſcente luna, excretionem menſtruam experiuntur. p. 225.

tur. Monet vero hunc ordinem, etsi a natura ab-
nitum, per crebriores diaetae errores maxime tur-
p. 241. Haemorrhoides serpiginosae, capite tricesimo
nono descriptae, ex albis et mucidis oriuntur, quan-
do seri acredo accedit. Si itaque illae venereis, scor-
buticis, scabiosis aut alia acrimonia imbutis accedant,
serpiginosae fiunt, ad anum enim exulcerationes et
inflammationes obseruantur. Subiungit his capite
quadragesimo fluxum hepaticum, scilicet diarrhoe-
am, vbi scybala sero subrubro abundant, ii itaque
qui ex haemorrhoidibus ad diarrhoeas proni sunt,
huic morbo obnoxii inueniuntur. Praecipua huius
symptomata sunt colica, flatulentia, malum ischiadi-
cum et lumbago. Dolor intestinorum in dextro la-
tere, et ideo hepar versus ab aegro percipitur, pru-
ritus ani et tenesmus. Quanquam vero analogia
fluxuum ventris et haemorrhoidum his quodammo-
do indicatur, varias tamen viscerum imi ventris lae-
siones maiorem attentionem exigere, monemus.
p. 412. Mittimus multa doctrinae pathologicae capita,
quo melancholiam et morbos ei analogos in capite
centesimo septimo et sequentibus pertractatos, bre-
uiter indicare queamus. Melancholia delirium
chronicum est, huic obnoxii sunt, qui malo hypo-
chondriaco et hysterico diu detenti fuerunt, in qui-
bus laesiones viscerum abdominalium inprimis scirrhi
sunt, in quibus haemorrhagiae salutares supprimun-
tur, qui animi pathematibus indulgent, qui facultates
animae inferiores supra modum exercent, qui a pa-
rentibus melancholicis nascuntur, qui sanguine spisso
abundant per causas varias ad encephalum congeren-
do. In his extrema corporis frigent, habitus corporis
pallescit, cordis palpitationes et anxietates praecor-
diorum, respiratio profunda et mirum in modum
praecluſa obseruantur, sequitur inde dolor capitis,
praecipue grauatiuus, genae et labia tunc rubescunt,

lacrymae

lacrymae effunduntur, et somnus est inquietus, phantasmata vel terrifica vel grata et iucunda, actiones ideis respondentes efficiunt, excretiones naturales vel supprimuntur, vel languent; sanguis vero niger difficulter ex vena incisa fluit. In sectionibus cadauerum inueniuntur vasa cerebri sanguine atro distenta, seri sanguinei intra menynges extrauasatio, cerebri quaedam loca tumida, dura, sicca, bilis perquam atra et valde glutinosa.

Mania est delirium chronicum, ferox. In mania- p. 416.
cis maior vis ad sanguinem commouendum et cum impetu ad encephalum coaceruandum esse videtur, oculi ideo sanguine suffusi sunt, facies pallet, quod in delirio phrenitico magis tumet, extrema calent, ita vt acerbissimum frigus nec sentiant, nec eo laedantur, audacia in vultu et actionum lasciuarum et truculentarum varietas, si motibus conuulsiuis corripiuntur, paroxysmi finiuntur et subsequitur stupor vel insignis languor. Noctambulatio ex dictis patet, primarum viarum morbi et inprimis colluuies verminosa caussam exhibet, insci actiones diurnas repetunt et in loca periculosa enituntur, salui tamen saepe in lectulum redeunt, continuata tamen capitis temulentia afficiuntur, et paroxysmi lunae phasibus respondere videntur, morbus tandem in epilepsiam et varias melancholiae species transit.

Nostalgia non tantum populis, regiones montosas p. 419.
inhabitantibus, sed iis etiam, qui consuetum vitae genus mutant, familiaris videtur, et vti molliter educatis per varias calamitates in regionibus peregrinis perferendis inducitur, sic solum vitae ante actae desiderium caussa videtur, quae animum inquietum, appetitum prostratum, et alias actiones laesas reddit, et vitae tandem taedium inducit, ideoque in aliquam melancholiae speciem transit. Hydrophobia a morsu animalis rabidi oriunda caussa quidem differt, sed

multis

multis plane phaenomenis conuenit. Tarantismus ideo et chorea St. Viti simili modo dirimi possunt.

p. 426. Placuit Cl. Auctori furorem poeticum huc referre, quoniam enim exercitationibus poeticis diu studioque inhaerentes, vel ea animi mollitie praeditos vt carminibus vltra modum flectantur, variis melancholiae caussis accedentibus, ita laedi videntur, vt spasmo cynico, risu sardonio, oculis plerumque distortis et ore spumante canere dicantur, ita furore poetico afficiantur. Ex quibus ea quoque intelliguntur, quae de erotomania et furore vterino proponit, quae nimirum ex venereis stimulis phantasiam vltra modum laedentibus, deriuantur.

p. 430. Cum pathologica febrium consideratio, quae a capite centesimo decimo septimo vsque ad caput centesimum quinquagesimum septimum amplectitur, a Nostro pertractatur, breui recensione complecti nequeat, addamus tantum pauca, quae de crisibus

p. 446. diebus proposuit. Dies criticus est, quo crisis fit. Dies indicatorii seu indicantes, qui etiam contemplabiles seu contemplantes dicuntur, phaenomena in febribus exhibent, ex quibus ad crisios futurae conditionem tuto colligere licet, siue symptomata prognostica crisios; dies intercalares siue intercedentes seu prouocatorii illi appellantur, qui diebus indicatoriis ex parte aliqua similes sunt. His opponi solent dies vacui, siue medicinales siue non decretorii. Dies tandem pseudocriticus siue tyrannicus vocatur ille, qui grauissimis morbi exacerbationibus stipatus est, et proxime antecedere solet diem criticum. Diagramma criticum in sex septenarios nunc exhibet, ex quibus tria hic repetere iuuabit. Dies 1 et 2 vacuus, 3 intercalaris, indicatorius, 5 intercalaris, 6 pseudocriticus, 7 criticus, 8 vacuus, 9 intercalaris s. saepe exitialis, 10 vacuus, 11 indicatorius,

catorius, 12 vacuus, 13 intercalaris, 14 criticus, 15, 16 vacui, 17 indicatorius, 18 vacuus, 19 intercalaris, 20 criticus. Simili prorſus ratione quartum, quintum et ſextum ſeptenarium diiudicari poſſunt. Quanquam etiam veterum ideas de diebus criticis non reiiciamus, in obſeruando tamen crebras limitationes addendas eſſe, ſumma, quae inter noſtros eſt vitae generis varietas, omnino vrget.

Tertius nunc liber de morbis complicatis agit, p. 561.
chronici enim vel acuti inter ſe, vel chronici cum acutis et vice verſa coniungi poſſunt, de his itaque nonnulla in vniuerſum proponit. Si cum morbo chronico maligno acutus benignus complicatur, hic quoque malignior erit, v. c. febres ſcorbuticorum vel venereorum. Si cum morbo chronico benigno complicatur morbus acutus malignus, in partibus, morbo chronico affectis, inflammatio generabitur, v. c. ſic hypochondriacus, febre acuta maligna laborans, hepatitidi vel alius viſceris abdominalis inflammationi obnoxius erit. Haec et alia praemittit et viam ſibi pandit ad febrium complicatarum conſiderationem, quarum plures ſpecies in ſequentibus capitibus conſiderat. v. c. Synochus putrida eſt febris complicata ex febre continente, et vna vel altera ſpecie febris continuae acutae; febris tertiana continua ex febre tertiana et continua quacunque, et ſic quartana et quotidiana cum continuis componuntur.

Liber quartus de morte agit, quae in abſentia p. 585.
omnium plane actionum corporis humani cernitur; inprimis vero prognoſis mortis ex actionibus cerebelli, cordis et pulmonum in morbis maxime laeſis formatur. Signa itaque petuntur ex motibus conuulſiuis cum morbo quodam ſenſuum internorum

coniunctis, et insigni corporis debilitate, porro e motu cordis inaequali et pulsu intermittente, tandem ex respiratione valde intercepta cum grauibus humorum congestionibus ad caput.

XIV.

CAROLI a LINNE', Equitis aurati, de stella polari etc. Systema naturae per regna tria naturae, secundum classes, ordines, genera, species, cum characteribus, differentiis, synonymis, locis. Editio duodecima, reformata. Holmiae impensis Laur. Saluii. 8. mai. Tom. I. Pars I. 1766. 1 Alph. 11 pl. Pars II. 1767. 2 Alph 6 pl.

Satis scimus, constare lectoribus, quanta sint Ill. a LINNE' merita de vniuersa historiae naturalis disciplina, ita, vt plane superflui aliquid simus suscepturi, si in has Viri Celeberrimi laudes plura velimus dicere, quum noua iam systematis naturae editio nobis commemoranda veniat. Neque enim dubitamus, quin ii etiam, qui non coeco quasi impetu istius nominis celebritate duci se aut rapi potius patiuntur, nec in eius omnino verba, tanquam de tripode dicta, iurare consultum putant; illud tamen grata mente agnoscant, deberi isti Viro, vt videamus nunc tandem aliquid in corporum naturalium historia, via ab ipso, facem praeferente, parata. Concedent, nisi prorsus alienae partis studio abripiantur, ab ipso primum inductum esse systematicum ordinem, cuius ope tanquam ariadneo filo nos ex hoc labyrintho extricare possumus; noua multa detecta, aut melius determinata, pluriumque reperiundorum viam quasi monstratam esse discipulis aliisque doctis viris; vt adeo huius Viri aetas, nouam haud dubie

epocham

epocham in pluribus doctrinae naturalis partibus, omni tempore ſit factura. Sed praeter illam communem omnium concelebrationem nominis meritorumque Linnaeanorum, hoc etiam maximi faciendum eſt, debenturque ei inprimis gratiae ex eo, quod in perſcrutandis, eoque, quo pollet, acumine examinandis, meliusque ordinandis corporibus naturalibus, indefeſſo ſtudio pergat; neque ſatiatus quaſi communi plauſu, vt multi alii, detractis ab opere manibus, eius vlteriorem culturam tempori relinquat; ſed nunc quoque inuenta noua addat ſuperioribus, eademque in communem vſum transferat. In hac enim reformata ſyſtematis naturae editione, inſignis nouarum ſpecierum numerus, vel leuiter intuenti cuique perſpicuam facit Auctoris Cel. induſtriam, digniſſimam attentione noſtra. Inprimis vero haec editio praecipui maxime hoc prae reliquis recentioribus editionibus huius libri habet, quod addita ei ſit pars tertia, continens regnum minerale, de qua tamen, vti de ſecunda, quae vegetabilia comprehendit, alio tempore verba faciemus.

Primus vero, quem nunc indicamus, tomus ſy- Tom. I.
ſtematis naturae duobus voluminibus componitur, P. I.
quorum primum claſſes *mammalium*, *auium*, *amphibiorum* et *piſcium*: alterum vero *inſecta* et *vermes* continet. Inter itinera, a diſcipulis ſuis ad augmentum hiſtoriae naturalis inſtituta, a Cel. Auctore A. R. MARTINI iter in *Spitzbergam*, C. ALSTROEMERI in *Europam auſtralem*, et I. FALKII in *Gotlandiam* primum in noua hac editione referuntur. Ipſa quoque *regni animalis* et *mammalium reliquorumque ordinum conſideratio* variis obſeruationibus hic auctae apparent, quas tamen praetermittimus. *Beſtiarum* ordinem edit. X in noua hac editione plane omiſit, generaque ſub eo comprehenſa, ad alios retulit, vt *ſuem* ad *belluas*, *daſy-*

pum ad *bruta*, *erinaceam*, *ſoricem*, *didelphidem* ad *fe*
licet dentium inciſorum numerus in his inſignis
numero, quem ad ferarum characterem deter-
p. 88. nandum aſſumſit, differat. Nouum quoque *noctu*
nis genus *glirium* ordini adiectum eſt, quod *veſperti*
nis ſpeciem, quam BRISSONUS *veſpertilionem amerin*
num rufum, LINNAEUS vero in editione decima *veſper*
tilionem leporinum dixit, comprehendit, quae dentes in
ciſores duos in vtraque maxilla habet. Cum vero a
DAUBENTON et PALLAS Virorum Cel. obſeruatio
nibus notum ſit, dentium primorum numerum in ve
ſpertilionibus inſigniter differre; (aliae enim ſupera
ribus carent; aliae 2 ſuperius et totidem inferius; aliae
2 ſuperius et 6 inferius: aliae vtrimque 4, vel 4
ſuperius et 6 vel 8 inferius etc. habent) nouo hoc
genere opus vix fuiſſe arbitramur. Plures vero no
uae mammalium ſpecies ex BRISSONO, EDWARDI
aliisque, nec non a Cel. Auctoris diſcipulis primum
deſcriptae, hic reperiuntur, plures quoque obſerua
tiones additae, variaque alia in noua hac editione
mutata ſunt, de quibus ſpeciminis loco nonnulla
adiicere liceat.

p. 35. Noua ſimiae ſpecies hic deſcribitur, quam *ſimia*
maimon dicit, *caudata* (ſubcaudata) *ſubbarbata genis*
caeruleis ſtriatis natibus caluis, pulcherrima ob colorum
varietatem et elegantiam (*). Referenda tamen eſt
ea ad *Papiones*, non ad *Cercopithecos*, quibus illam
Ill. A LINNE' adnumerauit, neque ſynonyma, hic ad
ducta, ad illam ſpectant. Nouae quoque, nec
ex BRISSONO aut aliis auctoribus ſumtae ſunt: *ſimia*
nictitans, quam ALSTROEMERUS apud Cel. BUR
MANNUM Amſtelodami vidit, *caudata*, *imberbis*, *nigra*,
punctis pallidis adſperſa, *naſo albo*, *pollice palmarum*
breuiſ-

*) Eſt ea *Mandril* BUFFONI *Hiſt. natur.* et *Mormon* ALSTROEMERI in *Actis Stockholmenſibus.* Vol. XXVIII.

breuissimo, natibus tectis. Hominem nocturnum ſ. *tro* p. 33.
glodytem adhuc adſumit, optatque, vt peregrinato-
res in hac et proximis obſeruent, num foeminae cli-
toride et nymphis inſtruantur, quibus homo a ſimiis
ex Noſtri mente differt. *Lemuris volantis* accuratam p. 45.
deſcriptionem adhuc Ill. Auctor deſiderat, quam nu-
per Cl. PALLAS promiſit, et quae facile ab eo parari
poteſt, cum animal paſſim in muſeis reperiatur, et
etiam, ni fallimur, Berolini in Muſeo Academiae Re-
giae aſſeruetur. Ad *Tricheci* genus nunc etiam *Pho-* p. 49.
ca roſmarus editionis X refertur. Deſideratur et-
iam ab Auctore deſcriptio *Canis aurei* (*Iackall* ſiue p. 59.
Lupus aureus) quod animal in Oriente copioſe re-
peritur. Noua quoque ſpecies eſt *Canis thous cau-* p. 60.
da deflexa laeui, corpore ſubgriſeo ſubtus albo, quae Su-
rinamo habitat. Addidit porro Cel. Auctor *Muſte-* p. 66.
lam lutreolam (*plantis palmatis hirſutis, digitis aequa-
libus, ore albo*) cuius olim iam in Fauna Suecica men-
tionem fecit, nec non *Muſtelam niualem* (*pedibus ſiſ-* p. 69.
ſis, corpore albo, caudae apice vix pilis vllis nigris,)
quae in Weſtrobothnia reperitur, et ab *muſtela erminea*
magnitudine tantum atque in eo differt, quod cau-
dae apex vix vnum alterumue pilum nigrum oſten-
dat. Duae quoque nouae *ſoricis* ſpecies primum p. 73.
hic commemorantur. *Minutus* ſcilicet *roſtro longiſ-*
ſimo, cauda nulla, cuius deſcriptionem vberiorem
nunc Cl. LAXMANN in libello germanico, *Sibiriſche
Briefe*, dedit, quod omnium animalium facile mini-
mum eſt, cum (ex LAXMANNI obſeruationibus re-
centiſſimis) 38 granorum tantum pondus habeat;
et *ſoricis murini cauda mediocri, corpore fuſco, pedibus* p. 75.
caudaque cinereis, quae ſpecies magnitudine *Muris*
muſculi eſt, et in Iaua habitat. *Hyſtrix brachyura*
edit. X ſub nomine *Erinacei Malaccenſis* ex BRISSO-
NII auctoritate nunc deſcribitur. Noua quoque eſt
murini generis ſpecies, quam *murem gregarium* dicit,

quae *cauda corpore triplo breuiore, ſubpiloſa, corpore griſeo ſubtus pedibusque albis* eſt, eademque elle videtur, quam BUFFONUS *Campagnol* dicit. Ad *Leporis* genus ſpecies aliqua *cauda longitudine capitis, pedibus rubris*, quae cuniculos fodit, et ad Caput Bonae Spei reperitur, refertur, vti ad *ſciuros* Surinamenſis aliqua ſpecies *griſea, ſubtus flaueſcens*, quam *aeſtuantem* dicit, aliaque *ſagitta* dicta, *hypochondriis prolixis volitans, cauda plano-pinnata lanceolata*, quae in Iaua habitat. *Moſchi* generi *Capra grimmia* et *pygmea* nunc adnumerantur. *Hippopotamum terreſtrem* editionis X (*Tapirus* BRISSON. *Tapirus* MARCGRAFFII *Tapir* ſ. *Anta* BUFFONII), qui Americanorum animalium maximum eſt, et proprium genus conſtituere atque ad belluas forte pertinere videtur, plane, neſcimus quam ob cauſſam, Cel. Auctor in hac editione omittit. *Rhinocerotis* genus ad *belluas* nunc refertur. In emendationibus ſyſtematis mammalium poſteriori volumini, primi huius tomi adiectis, *Mus* (*barbarus*) cauda *mediocri, corpore fuſco ſtriis decem pallidis, palmis tridactylis, plantis pentadactylis* deſcribitur. Atque haec de mammalium ordine in vniuerſum monuiſſe ſufficiat, in quo dolemus, Cel. Auctorem BUFFONI Ill. egregium opus plane neglexiſſe, ex quibus magna non ſolum nouarum ſpecierum copia addi potuiſſet, inprimis in generibus *ſimiae*, *lemuris*, *veſpertilionis*, (de quo etiam ea, quae Cl. DAUBENTON in *Actis Academiae Regiae Pariſinae*, et Cl. PALLAS in *miſcellaneis zoologicis* habent, omnino conferri merentur) *tricheci*, *felis*, *viuerrae*, *muſtelae*, *didelphidis*, *erinacei*, *muris*, *ſciuri*, et *caprae* (quorſum etiam generis *antiloparum* hiſtoria, a Cl. PALLAS adornata, pertinet); ſed et deſcriptiones et obſeruationes, ſyſtemati inſertae, augeri egregie et emendari potuiſſent; vt taceamus figuras Buffoniani operis, quae maxima ex parte omnem

p. 78.
p. 88.
p. 84.
p. 92.

pagi-

paginam abſoluunt, ſummaque attentione dignae ſunt, nunquam allegari.

Iam ad *auium* claſſem progredimur, quae inſigni- p. 121.
ter ex Cl. BRISSON et EDWARDS maxime ſcriptis nuper editis, aucta eſt. Quindecim in hac editione noua genera reperiuntur. Ex his ad *Picas* pertinent: *Buphaga* roſtro recto quadrangulari, pedibus ambulatoriis: *Oriolus* roſtro recto conico acutiſſimo, pedibus ambulatoriis, quorſum *turdum luteum* et varios *ſturnos* refert: *Trogon* roſtro ſerrato apice adunco, pedibus ſcanſoriis: *Bucco* roſtro laeui, emarginato, adunco, pedibus ſcanſoriis et *Todus* pedibus greſſoriis, roſtro lineari, depreſſo, recto. *Anſerum* ordo vnico tantum genere, quod *Plotus* dicitur, auctus eſt. Habet hoc roſtrum denticulatum ſubulatum et *Anhingam* MARCGRAFII comprehendit. *Grallarum* noua genera ſunt, *Palamedea* roſtro apice vncinato acuto (*Anhima* et *Coriama* MARCGR.) et *Parra* roſtro teretiuſculo, obtuſiuſculo, fronte carunculata, carunculis lobatis, alulis ſpinoſis, ad quod genus *Vanelli armati* et *Iacana* BRISS. referuntur. *Gallinis* acceſſit *Didus* roſtro in medio coarctato rugoſo, facie nuda (eſt *Struthio cucullatus* edit. X) et *Numida*, quod genus carunculis binis ad baſin mandibularum inſtruitur, et *Phaſiani* ſpeciem, quae *Meleagris* in edit. X. vocatur, continet. Noua tandem *paſſerum* genera ſunt: *Ampelis* roſtro emarginato, ſubulato, baſi depreſſo, cui generi *Lanium garrulum* ſ. *Bombycillam* BRISS. et *Cotingam* EIUSD. Cl. Auctor inſeruit: *Tanagra* ſ. *Tangara* BRISS. roſtro emarginato ſubulato, baſi conoideo: *Muſcicapa*, quod genus *coruum paradiſi* et varias *motacillae* ſpecies editionis X continet, roſtro emarginato ſubulato baſi ciliato, tandemque *Pipra*, quod aues a BRISSONO ad *ruricolae* et *manaci* genera relatas vna cum *paro pipra* edit. X comprehendit, roſtrumque incuruum,

ſubulatum habet. Plurium quoque nouarum ſpecierum, a nullo alio Auctore deſcriptarum, primum in hac editione mentio fit, ex quibus inprimis notatu dignae ſunt: *Falco ſupercilioſus* et *veſpertinus*; *Pſittacus militaris* et *coronatus*: *Crotophaga ambulatoria*; *Anſer viduata*: *Fulica carthagena* et *marti-*

p. 260. *ca*: *Parra chauaria*, digitis elongatis, pedibus fuluis, occipite criſtato, qua cicurata Indi circa Carthaginam vtuntur ad gallinas a *vulture aura* defendendas. Currere nequit, niſi ſemiuolet, tactaque manu cutis ſub pennis etiam lanoſa vbique fortiter crepat, quae quidem lana denſa tantam quoque leuitatem corpori conciliat, vt, licet pedes digitique longiſſimi et filiformes ſint, ea tamen egregie natare poſſit: *Loxia minima*: *Emberiza amazona*: *Fringilla ſurinama*, *lepida*, *autumnaalis*, *flaueola et tricolor*: *Muſcicapa ſurinama* et *variegata*: *Motacilla cinnamomea*, tandemque *Parus peregrinus*.

p. 347. *Amphibiorum* claſſem Cel. Auctor in hac editione auxit inſigniter *piſcium branchioſtegorum* generibus plurimis, quae ad *nantes* retulit. Illorum enim propria ſtructura, laruae ſingulares, foetus fere extra ouum, defectus pinnarum ventralium perſuaſerunt Cl. Auctori, a Cel. GARDEN petere, vellet diſſecare *Diodontis* organa reſpiratoria, et inquirere, numne pulmones habeat, qui etiam bronchias externas et pulmones internos inuenit, eosque deſcripſit, vt itaque omnino conſtet, hoc aliaque ſimilia genera nantibus eſſe adnumeranda. Sunt vero illa genera: *Baliſtes*, *Oſtracion*, *Tetrodon*, *Diodon*, *Centriſcus*, *Syngnathus*, *Pegaſus*. Ex *thoracicis* piſcibus etiam *Cyclopterus* nunc amphibiorum claſſem ingreſſus eſt. Nouae ſunt ſpecies, ex quibus plures Cl. GARDENII obſeruationibus debentur: *teſtudo ſcorpioides*, et *denticulata*: *rana muſica* (*): *lacerta quinquelinea-*

(*) ROESELII egregio *de ranis* opere Auctor Cel. non vſus eſt, ex quo varia addi potuiſſent.

quelineata: crotalus mutus: coluber ſimus, ſtriatulus, punctatus, faſciatus, doliatus, mexicanus, fuluius, et *domeſticus: anguis quadrupes,* pedibus breuiſſimis pentadactylis vnguiculatis, quae, cum auribus deſtituatur, lacertis non adnumerari poteſt: *anguis platura* cauda compreſſa obtuſa: tandemque *tetrodon laeuigatus.*

In ſupplementis ad hoc primum volumen, quae ad calcem poſterioris voluminis reperiuntur, nouum amphibiorum ordinem proponit, quae *meantes* Cel. Auctor vocat, et inter *ſerpentes* et *nantes* collocat. Habent vero ex eius definitione bronchias et pulmones ſimul: pedes brachiatos, vnguiculatos. Vnicum tantum huius ordinis genus eſt *Siren* ſcilicet, quae corpus bipedum caudatum nudum habet, vnicamque tantum ſpeciem continet, quam *lacertinam* Ill. LINNAEUS dicit. Animal hoc mirabile a Cel. Auctore in ſingulari diſſertatione Vpſaliae 1766 edita deſcribitur, qui illud a Cl. GARDEN (*) ex Carolina accepit. Habitat in paludoſis illius regionis, et licet laruis lacertarum ſimillimum ſit, tamen omnino declaratum animal eſſe videtur, cum manus vnguiculatas, vocemque cantilantem habeat, atque magnitudine omnes reliquas lacertarum ſpecies, in Carolina reperiundas, longe ſuperet. p. 395.

Piſcium ordo varias nouas plane ſpecies continet, quarum maxima pars a Cl. GARDEN collecta eſt, vt *Gymnotum albifrontem, Gadum tau* et *cimbrium: Coryphaenam pſittacum, acutam, ſimam, virentem, hemipteram, branchioſtegam* et *clypeatam: Gobium barbarum: Pleuronectem plagiuſam* et *lineatum: Chaetadontem alepidotum, leucurum* et *argum: Labrum hiatulam: Percam punctatam, ocellatam, palpebroſam, atrariam* et *trifurcam: Gaſteroſteum carolinum* et *canadum:* p. 419.

*) Conf. quoque de hoc animale Philoſoph. Tranſact. Vol. LVI. p. 189. tab. IX.

Scombrum hippos et *chryſurum: Cobitidem hetroclitam: Silurum inermem, galeatum, carinatum: Salmonem notatum* et *rhombeum: Clupeam atherinoidem:* tandemque *Cyprinum americanum. Ophidii* genus ad *apodes* nunc pertinet. *Cyclopterum* ad amphibiorum ordinem ab Auctore Cel. referri ſuperius monuimus. *Cepolae* genus, quod *thoracicis* inſertum eſt, plane nouum eſt. Os imum, corpusque enſiforme habet, atque *Taeniae* ARTEDI duas ſpecies continet. Nouum quoque eſt *Amiae* genus ad *abdominales* relatum, quod caput nudum, oſſeum, ſcabrum habet, cuiusque vnica tantum ſpecies, quae in Carolinenſibus aquis dulcibus reperitur, hic deſcribitur. *Teuthis* etiam piſcium *abdominalium* genus ſiſtit, quod caput antice truncatum habet, cui duae *Hepati* GRONOVII ſpecies adnumerantur. *Elops* tandem tertium nouum genus huius ordinis eſt, cuius character primarius in membrana branchioſtega duplici exteriore minore conſiſtit, et quod vnicum tantum piſcem, quem SLOANE *Saurum maximum* dixit, comprehendit. *Branchioſtegarum* piſcium maximam partem nunc amphibiis adnumerari, ſupra iam monuimus. Vnicum tamen genus ſupereſt, *Mormyri* ſcilicet, quod nunc piſcium *abdominalium* genus conſtituit.

Tom. I. P. II. p. 533. p. 559.

Supereſt, vt de poſteriore volumine huius tomi dicamus, in quo inſecta et vermes reperiuntur, quod ſimili modo ac prius plures nouas ſpecies continet, in quarum tamen recenſione breuiores erimus. Inſectorum inprimis enumeratio maxime aucta eſt, cum non ſolum inſignis nouarum ſpecierum multitudo ex GEOFFROY, SCHAEFFERO aliisque addita, ſed et generum diuiſiones vario modo mutatae, nouaque genera conſtituta ſint. Primum ex iis *Luteanus* eſt, quod *Scarabaei* ſpecies antennis clauatis: claua

compreſſa

compreſſa, latere latiore pectinato-fiſſili: maxillis porrectis, exſertis, dentatis (*ſcarabaeos ore maxillis forcipatis*, edit. X) continet. Secundum *Ptinus* eſt, thorace caput excipiente, antennis filiformibus: articulis vltimis longioribus, quod genus variis *Dermeſtis* ſpeciebus componitur. *Gyrini* genus antennas clauatas, rigidas, capite breuiores habet, et *Dyticum natatorem* edit. X comprehendit. *Byrrhus* antennis clauatis extrorſum incraſſatis, claua ſolida ouata inſtruitur, ad quod genus variae *Dermeſtis* ſpecies nunc referuntur. *Hiſpae* antennae filiformes, porrectae, approximatae fuſiformes ſunt, et *Dermeſtes clauicornis* ad illud genus pertinet. *Bruchus*, antennas filiformes, extrorſum craſſiores habet. Adnumerantur huic generi variae *Dermeſtis* ſpecies, v. c. *piſorum* et *Curculio chinenſis*. *Lampyris* antennas filiformes habet. Elytra flexilia ſunt, thoracisque clypeus caput obumbrat et recipit. Pertinent huc *Cantharis noctiluca*, *pyralis*, *phoſphorea*, *mauritanica* etc. *Blatta* et *Gryllus* ad *hemiptera* nunc referuntur. *Mantis* nunc a *Gryllo* ſeparatum genus conſtituit, pedibus anticis ſerratis, vngue vnico inſtructum. *Fulgorae* vero genus *Cicadas noctilucas* edit. X comprehendit. *Papilionum barbarorum* phalanga plane in hac editione omittitur. *Phalaenis* vero *atacorum* phalanx addita eſt, quae *Bombyces alis patulis inclinatis* edit. X continet. *Myrmeleon* cauda forcipata ab *Hemerobio* differt, cuius generis variae ſpecies v. c. H. *formicaleo* et *formicalynx* nouum hoc genus conſtituunt. *Sirex* aculeum ſerratum ſub abdominis ſpina terminali, *Chryſis* vero aculeum punctorium, abdomen ſubtus fornicatum corpusque auratum habet. Ad prius pertinet *Ichneumonis* ſpecies, quae abdomini ſeſſili apice mucronato inſtruuntur, ad poſterius vero nonnullae ſpecies, quae olim generi hymenopterorum, cui LINNAEVS nomen *Sphex* impoſuit, adnumerabantur.

p. 565. p. 567. p. 568. p. 603. p. 604. p. 643. p. 689. p. 703. p. 808. p. 913. p. 928. p. 947.

p.1069. Ex vermium tandem classe notandum est, Cel.
Auctorem in hac editione *teredinis* genus ad *testacea*
p.1267. vniualuia absque spira regulari retulisse. *Mollusco-*
p.1082. *rum* ordo quinque generibus auctus est. Ex his os
anticum corporisque aperturam lateralem habet
Laplysia, quae praeterea tentacula quatuor et anum
supra postica habet, atque *Thetytem limacinam* edit.
X continet. Ore supero instruuntur, et basi se affi-
gunt *Actinia*, quae apertura vnica communi dilata-
p.1087. bili praedita est, et *Ascidia*, in qua duae aperturae
p.1088. deprehenduntur, quarum altera humilior est, et ad
quam *Priapi* genus edit. X refertur. *Terebella*
contra os anticum corpusque tentaculis capillaribus
antice cinctum habet, et vnicam speciem a Cl. KAEH-
LERO in *Actis Stockholmensibus* 1754 descriptam
p.1094. continet. *Clio* tandem ostendit os anticum, cor-
pusque brachiis duobus dilatatis instructum, quod
vltimum genus Ill. Auctor a Cl. BROWNIO mutuatus
est. Iam quod *testaceorum* ordinem attinet, tenen-
p. 1110. dum est, *Pholadis* genus ob testas posticas acceso-
rias minores multiualuibus nunc adnumerari. *Ma-*
p.1125. *ctra* testam biualuem inaequilateram, aequiualuem
sistit, cardoque dente intermedio complicato cum
adiecta foueola, lateralibus remotis insertis compo-
p.1268. nitur. *Sabellae* tandem characterem, quae testa-
ceis vniualuibus absque spica regulari adnume-
ratur, testa tubulosa contexta ex arenulis, confertim
membranae vaginali impositis, constituit. Pertinent
ad hoc genus *serpula ringens* et *penicillus*, nec non
p.1285. *Tubipora arenosa*, edit. X. *Lithophytis* additum est,
Celleporae genus foraminulis vrceolatis submembra-
naceis instructum, cui tubipora verrucosa edit. X.
aliaeque nouae species adnumerantur. Primum ex
p.1296. nouis *zoophytorum* generibus *spongia* est, quam ad
animale regnum nunc penitus Cel. Auctor refert,
licet *spongia fluuiatilis* ad vegetabilem adhuc naturam
accedat.

accedat. Foraminibus ſpongia aquam reſpirat, ſtirps radicata eſt, pilis contexta, flexilis, bibula. Sequitur *Fluſtra*, quod genus ſtirpem radicatam, vndique poris cellulosis tectam, habet, et olim *Eſchara* dicebatur. *Vorticellae* character eſt: flos calyce vaſculoſo; ore contractili ciliato, terminali. Stirps fixa, in vorticem vibrans florem. Huc refertur *Iſis encrinus* et *anaſtatica*, atque *Sertularia polypina* etc. *Furiae* genus ad zoophyta nunc ex inteſtinis translatum eſt. Vltimum vero genus *Chaos* ſiſtit, corpore libero vniformi, rediuiuo: artubus ſenſusque organis externis nullis. Adnumeratur huic generi *Volvox chaos*, edit. X. anguillae in aceto et glutine bibliopegorum reperiundae, animaliaque reliqua infuſoria, nec non illa animalcula mirandae plane naturae, quae Ill. DE MÜNCHHAUSEN in fungorum ſeminibus, neſcimus an recte, et vſtilagine aſſumſit, cuius obſeruationes LINNAEUS Ill. in diſſ. *de mundo inuiſibili* confirmauit. Ad hanc quoque familiam pertinere putat Cel. Auctor febrium exanthematicarum, ſiphilitidisque contagium, ſpermaticos vermiculos, fermentique et putredinis ſepticum etc. Auctum eſt hoc volumen variis indicibus, nec non appendice ſynonymorum, quae ex Cl. SCHAEFFERI *Inſectis Ratisbonenſibus* et SEBAE Theſauri T. IV excerpta ſunt.

p. 1300.

p. 1317.

p. 1325.

p. 1326.

XV.

XV.

An inquiry into the nature, cauſe and cure of the Croup by FRANCIS HOME, M.D. his Majeſty's Phyſician and fellow of the Royal College of Phyſicians in Edinburgh, printed for A. Kincaid and J. Bell. 1765. 8vo maj. pag. 60.

h. e.

Diſquiſitio naturae, cauſſae et curationis ſuffocationis ſtridulae. Auctore FRANCISCO HOME, M.D.

p. 4. Morbum quendam ſingularem et nouum deſcripturus Cl. Auctor, recte in principio monet, medicos de diſtinguendis in genera et ſpecies diſtribuendis morbis, et de nouis nominibus, ex leui aliqua ſymptomatum mutatione imponendis, magis, quam de veris morborum deſcriptionibus et mutationibus tradendis, ſollicitos eſſe. Quanquam igitur ille cauſſas, ſymptomata et ſigna noui huius morbi deſcribat, ad anginam tamen non reducit, ſed nouum nomen *Croup* ſiue ſuffocationis ſtridulae a praecipuo ſymptomate imponit. Exponamus breuiter de ratione morbi, et in progreſſu ſuo et per cadauerum diſſectionem declarata, et poſtea nonnulla ex corollariis addamus.

Morbus vero infantibus et pueris ſemper, nunquam vero adultioribus, porro ad littora maris habitantibus magis, quam vrbium maiorum incolis infeſtus eſt, ex ſymptomatibus leuioribus, celeriter tamen funeſtis, aliquam cum catarrho pulmonum et peri-
p. 10. pneumonia habet ſimilitudinem. Ex hiſtoriis morborum deſcriptis, progreſſum in duodecim aegris declarantibus, apparet, inflammatorium videri morbum cum

cum difficili et alta reſpiratione. Aegri inprimis raucedine et inde voce ſtridula, ſtrepitum gallinarum aemulante, ſignum diagnoſticum referunt; deglutitio non admodum laeſa eſt; pulſus fortis et celer, vrina varia cum ſedimento ſaepius mucoſo. Acceſſoria nonnunquam ſymptomata ſunt oedemata non tantum faciei et colli, ſed et manuum et pedum, vomitus, coryza et fluxus muci ex naribus copioſus, tonſillae etiam interdum tumidae et muco obſeſſae ſunt. In diſſectionibus cadauerum fauces vix inflammatae, et ſubſtantia pulmonum prorſus ſana deprehenſa eſt, trachea vero in ſuo ambitu molli, craſſa et tenaci membrana obſeſſa eſt, ſub ea tamen rubor vt inflammationis ſignum interdum apparuit. In puella nouem annorum membrana nigra erat, ſignum tamen ſphaceli interioris membranae Noſtro non videtur, ſed tantum exſiccationis. In omnibus aegris bronchia materia mucoſa, plus minus purulenta alba et flaua repleta inueniebantur, quae ex omnibus ramis exprimebatur.

Ex deſcriptionibus morborum porro apparet, leuiorem morbum interdum ſanatum eſſe, et in eo venae ſectiones, veſicatoria circa collum applicata, vapores ex aqua calida cum aceto ad fauces admiſſi, et externa quoque epithemata non ſine fructu fuiſſe; in progreſſu tamen morbum ſemper lethalem extitiſſe, nec haec, nec alia remedia v. c. ſpiritum MINDERERI cum theriaca, gummi ammoniacum cum ſale cornu cerui, camphoram, nec ſyrupum ſcilliticum vel tincturam ipecacuanhae cum aceto ſcillitico ad vomitum excitandum propinata, nec hirudines, collo applicatas, opem attuliſſe.

In corollario primo Cl. Auctor monet, morbum P. 32.
ab incolis varie denominatum, ex ſymptomate vocis ſtridulae, cum gallinarum ſtrepitu comparatae, ſuffocationem ſtridulam appellari poſſe, tuſſis enim

nec

nec ſemper adeſt, nec conuulſiua, ſed intercepta tantum et breuis obſeruatur. Ad anginam omnino referri poſſe nobis videtur, magis tamen catarrhoſam, quam inflammatoriam, ex aegrorum differentia porro diiudicandam. Sedem enim habet in membrana, ex imis faucibus ad vias aereas pulmonum deducta, quod pulmonum ſubſtantia illaeſa eſt. Corollarium ſecundum cauſſam in temperie aeris humida et calida, hiberno tempore praecipue moleſta, ponit. Quamquam vero in corollario tertio nec in glottide, nec in tracheae membrana ſedem morbi eſſe concedit, eam tamen in glandulis, per ſuperficiem harum partium copioſe diſſeminatis, deprehendi affirmat.

p. 37. Corollarium quartum oſtendit, morbum nec eſſe ſpaſmodicum, nec inflammationem muſculorum laryngis, nec inflammationem et ſuppurationem pulmonum, ſed geneſin membranae, ſuperficiem internam tracheae et bronchiorum obducentis. In infantibus praecipue, vbi mucus in his partibus ſecretus magis lymphaticus eſt, cauſſa externa ſtimulante accedente, ille copioſius profluit, et diſſipata parte ſubtiliſſima, in mucoſam tunicam, aqua ipſa macerata, nec diſſolutam, coit et veram huius ſuffocationis ſtridulae ſedem offert.

p. 46. Corollarium quintum duplicem ſiſtit morbi noſtri ſtatum, priorem inflammatorium minus periculoſum, qui tamen, ſi morbus cum tuſſi habituali accedit, vix talis cognoſcitur, alterum non amplius inflammatorium, ſed magis purulentum, ideoque maxime periculoſum, quae diſtinctio ad prognoſin et curam recte formandam omnino multum facit. Signum huius differentiae Noſter in eo ponit, quod in primo ſtatu vrinam tenuem, in altero mucoſo et purulento ſedimento conſpicuam obſeruauit; dicit enim, materiam hanc purulentam in pulmonibus reſorberi, et ad vrinae vias duci.

Corolla-

Corollarium ſextum febrim ex difficili tranſitu ſanguinis per pulmones, ob mucum, in vaſis et cauo bronchiorum haerentem, deducit, ex qua re etiam reſpiratio laborioſa explicatur. Cur vero dolor aliaque ſymptomata in membrana adeo irritabili, qualis tracheae eſt, non ſentiantur, ex muci copia, ibi collecta et ſtimulos impediente, declarari poteſt, ratio tamen ipſi Auctori minus ſufficiens videtur. p. 49.

In corollario ſeptimo grauitas morbi et difficultas curandi ita declaratur, vt eius ſymptomata in principio non vrgeant, ideoque nec auxilia petantur, ſi enim tunc muci tenuis reiectio per tuſſim adiuuatur, et hic ſatis mobilis eſt, geneſis membranae tenacis impeditur, ſi vero haec formata eſt, tunc ſuffocatio mox ſequitur. Interdum tamen viribus naturae adiuta excretio etiam membranaceas muci excretiones vrget. p. 51.

Curationis ratio in vltimo et octauo corollario proponitur. In ſtatu inflammatorio larga et repetita venaeſectio, ſed mox in principio exigitur, poſtea hirudines commendantur; aluus aperta ſeruanda eſt magneſia alba vel ſale polychreſto. Veſicatoria non in principio, ſed poſt ſanguinis miſſionem ad collum applicanda ſunt, fomentationibus et cataplaſmatibus emollientibus ſuperadditis; vapor aquae calidae cum aceto ore attrahatur. A vomitoriis, hoc in morbo propinatis, parum ſolatii ſenſit Noſter, etſi etiam tum, cum membrana iam formata eſt, efficaciora remedia non inueniantur, tamen et hoc in caſu vomitoria, ex neruorum conſenſu pulmones agitantia, effectus ſalutares non edunt. Alii etiam vapores acres, in pulmones ducti, ſiccam nimis membranam irritare haud poſſunt. Quod igitur per glottidem membrana educi haud poſſit, quaeſtio eſt, an hoc, bronchotomia adminiſtrata, fieri poſſit? p. 54.

XVI.

A Dissertation on the inflammatory, gangrenous and putrid sore throat also on the putrid fever, together with their diagnosticks and method of cure. By F. PENROSE Surgeon. Oxford printed for D. Prince and W. Owen 1766. 8vo mai. pag. 54.

h. e.

Dissertatio de angina inflammatoria, gangraenosa et putrida, nec non putridis febribus, diagnosticis signis et methodo medendi, Auctore F. PENROSE.

Etsi morborum, in fronte huius libelli indicatorum, diiudicatio grauior est, quam quae paucis plagulis complecti possit, tamen cum Cl. Auctor Cell. Virorum HUXHAMI et FOTHERGILL monitis, super hac re editis, vsus sit, et inter plebeios homines, his morbis magis obnoxios, medicinam non sine attentione fecerit, nonnulla monita sparsim excerpere, ab instituto nostro alienum non est. De angina inflammatoria paucis egit, plura de gangraenosa exposuit, maxime vero putridorum morborum differentiam ab inflammatoriis etiam ratione anginae expendit.

p. 5. Angina inflammatoria robustis et denso sangine praeditis accedit, in his pulsus fortis plenus et celer, vrina cruda flammea, dolor et tumor tonsillarum et faucium continuo increscens, vsque ad metum suf-

p. 9. focationis obseruantur. In gangraenosa, vuula et tonsillae tument quidem et inflammantur, nunquam tamen vere turgent, sed flaccidae sunt, et subito saepe in cineritium et liuidum colorem mutantur, pulsus et vrina sanis simillima, omnisque doloris absentia, quae

quae cuncta peſſimum huius morbi ſtatum declarant. Omne igitur, quod auctos et vegetos ſanguinis motus excitat ita, vt putridi humoris reſorptionem et progreſſum impediat, id gangraenam arcet, eique limites ponit. Interne igitur praeter corticis Peruuiani vſum, cardiaca alia v. c. theriacae et radix ſerpentariae Virginianae ſuadentur. Quod vero nec ſeparatio cruſtae nimis cito fieri debet, et ipſae ſcarificationes, viribus vitae nondum excitatis, omnino nocent, fomentationes et fumigationes ex balſamicis aromaticis et gargariſmata ſimilia externe applicanda ſunt. Gargariſmata vero, ad purgandas fauces et auertendum virus gangraenoſum adhibita, leniter gargariſando tantum admoueantur, neque vero ſiphone fortius impellantur, ne corruptam materiam ita vrgeant, vt deglutita ad ventriculum propellatur. Monet Noſter, victu iurulento exhibito, p. 13.
debilitatem non corrigi poſſe, quoniam ille putredinem auget, ſed hoc vix vtuntur aegri, cum ipſi ab eo victu abhorreant.

Putridos morbos ad epidemicos quidem, non vero ad contagioſos, referre videtur Cl. Auctor, quo- p. 16.
niam ii, qui crebrius in aere libero verſantur, rarius morbo afficiuntur; ſed noſtro quidem iudicio diſtinguendum eſt inter contagium, in aere libero propagatum, quod exiguum vel nullum eſt, et inter aerem clauſum conclauium.

Angina gangraenoſa ſubito afficit fauces, putrida p. 18.
vero tardius accedit, et non niſi febre iam durante, ita, vt ex illa aegri ſaepe intra paucos dies pereant, ex hac ſaepe nono vel decimo die, interdum quoque putridae febres ad menſem protrahuntur, antequam aegri moriantur. Quemadmodum vero angina gangraenoſa a putrida facile diſcernitur, ſic febres inflammatoriae et putridae ideoque etiam anginae, his ſuperuenientes, maiorem attentionem merentur.

p. 19. Vt plurimum ſub finem autumni et initium hiemis praecipue poſt ſiccam aeſtatem putridae febres epidemicae graſſantur. Leuia ſaepe ſymptomata initium faciunt, qua in re cum inflammatoriis conueniunt, in his tamen ſubito increſcunt, in illis ſubinde et per gradus. In febribus putridis vrina ſedimentum deponit, etſi naturali ſimilis eſt, mox ſub initium, in inflammatoriis non, niſi criſi accedente, et Noſter quidem hac in re multiplici obſeruatione inſtructus, certiſſimum diagnoſticum in principio, et dubio adhuc ſtatu, ſe inueniſſe putat.

p. 22. Methodum medendi in vniuerſum ita deſcribit: in angina inflammatoria euacuationes varias et praeterea emollientia, refrigerantia et diluentia remedia, in gangraenoſa externe excitantia, interne cardiaca, alexipharmaca et corticem Peruuianum, in putrida interne cardiaca alexipharmaca, cum antimonio iuncta, externe decoctum contrayeruae cum tinctura myrrhae ſuadet. Totus poſtea eſt in laudibus antimonialium

p. 28. medicamentorum, inprimis vitri antimonii cerati, cuius vſum in febre putrida, cum diarrhoea oborta, epidemica, eximium cognouit. Dedit vero duo grana cum aliis cardiacis medicamentis, et dosin ad grana ſex ſubinde auxit, nunquam tamen eo vſque vt vomitum moueret, cum itaque, diarrhoea continuata, vires multum frangerentur, hoc medicamento illae excitatae ſunt et diarrhoea cohibita eſt. Corticis Peruuiani vſum non improbat, putat tamen, eum non tutum eſſe, niſi vis materiae putridae ſuncta ſit, alias enim febris et diarrhoea increſcunt. Mittimus varia curationis exempla, quibus Noſter ſententiam ſuam confirmat.

p. 40. Vnicum exemplum curationis indicabimus. Adoleſcens duodecim annorum, febre putrida affectus, duo grana vitri antimonii cerati in vncia vna ſeri decocti ſacri PULLERI, ſingulis ſex horis ſumebat, et

et die sexto morbi, dolor capitis cessare videbatur, cessabat quoque diarrhoea die septimo, et febris imminuebatur, octauo die dolor capitis et faucium cum aphthis ingruebat, quanquam reliqua symptomata mitiora erant, cardialia itaque medicamenta et tandem die decimo tertio cortex Peruuianus propinabatur, putridum enim morbi statum iam superatum esse, credebat Noster. Cum autem die decimo quarto et quinto dejectiones aluinae cum dolore increscerent, aphthae cum oris impuritatibus continuarent, pulsus celer et paruus esset, cortice omisso, cardiaca alia medicamenta propinabantur, quo facto, decimo sexto et sequentibus diebus, symptomatibus superatis, non nisi debilitas in conualescentiae statu remanebat, quae tum demum corticis vsum denuo admittebat. Sub finem aphorismos generales de cura horum morborum tradit, quos, cum ex antecedentibus pateant, non repetimus. p. 51.

XVII.

A collection of preternatural cases and observations in midwifery. By WILLIAM SMELLIE, M. D. Compleating the design of illustrating his first volume on that subject. Vol. III. London printed for D. Wilson and T. Durham 1766. 8. 1 Alph. 10 pl.

i. e.

Collectio casuum praeternaturalium et observationum in arte obstetricia. Auctore GUILIELMO SMELLIE, M. D. quo consilium illustrandi primum volumen coepti operis de hac re expletur. Vol. III.

Cel. SMELLIE, cuius in artem obstetriciam merita iam eo loco, vbi de prioribus eius libris

verba fecimus*), quantum a nobis fieri quidem potuit, debitis laudibus ornauimus, etsi ante editionem posterioris voluminis obseruationum, quibus tractatum *de theoria et praxi artis obstetriciae* illustrare apud animum constituit, longa nec ignobiliter acta aetate confectus, (per quadraginta enim annos artem hanc exercuit) diem obiit supremum; tantum tamen abest, vt hoc volumen in eorum numero habendum sit, qui, si post mortem demum auctoris eduntur, eius saepe nominis celebritati haud parum solent officere, quoniam nondum perfecti omnibusque numeris absoluti prodeunt; vt hoc potius opus, eo, quo e vita discessit Auctor Cl. tempore, omnino iam ad finem perductum et ad prelum praeparatum fuerit. Habemus itaque hic seriem obseruationum, quibus totum artis obstetriciae systema illustratur, praestantissimas quidem, et ob insignem Auctoris Cel. candorem, quo euentus etiam minus prosperi libere indicantur, maxima attentione dignas. Atque cum simul tempus indicatum sit, quo quisque casus accidit, inde etiam lector facile potest colligere, quibus gradibus sensim Auctor ad accuratiorem harum rerum intelligentiam accesserit.

p. 1. *Sectione* vero *trigesima prima* obseruationum, quae prima huius posterioris voluminis est, enarrantur partus difficiles, capite etiam praeuio, manus vel vnci ope terminandi. Pertinent obseruationes, hic additae, partim ad foetus hydrocephalicos, vel capite nimis magno praeditos, aut tales, quibus ex putredine abdomen ita intumuerat, vt, capite iam excusso, abdominis moles arte adhuc minuenda esset: partim ad partus ex nimia peluis angustia difficiles. Nonnunquam capite, post perforationem eius, iam in lucem edito, vterum circa collum et humeros ita contractum inuenit, vt constricta eiusmodi loca, ad plenariam

*) Vid. Decad. I. Supplem. II. p. 195. seq.

plenariam foetus extractionem absoluendam, insigni cum labore, manu obstetricantis dilatanda essent. Additae sunt huic capiti plures discipulorum Cl. SMELLIE observationes de similibus casibus, vna cum praeceptoris iudiciis, ex quibus apparet, quantum ille nimis praecocem operationem manualem et ferramentorum secantium vsum abhorruerit, quamuis multi Auctori hoc improbauerint.

Sectione trigesima secunda partus praeternaturales pedibus vel natibus praeuiis Auctor Cl. recenset, in quorum maxima parte summa difficultas ex capite, in agrippatum partu retento, nata est. Quo in foetu ita prodeunte, vt mentum os pubis spectet, conuersio faciei versus os sacrum eo melius succedat, nec facies circumuolutione facta, corporis versus latera adhuc conuersum sit, iubet Cel. Auctor, circumuolutionem hanc praeter constantem eius mensuram quarta parte adhuc amplius instituere (*to give a quarter turn more*). Si in foemina non multum debilitata, et quae validos ad partum dolores adhuc habet, nates foetus praeuiae quidem sunt, sed orificium vteri nondum satis dilatatum est, summa cautione opus est, ne illud cum quadam violentia matri haud raro lethali dilatetur. Expectatio potius sedulo commendanda est, inprimis cum foetus de vita sua non antea periclitetur, quam nates ad externas genitales partes descenderint, quo tempore funiculus vmbilicalis comprimitur. p. 60. p. 70.

Sectio trigesima tertia continet observationes de partu praeternaturali, in quo membranae arte aperiendae erant, nec non de partu, qui ob conuulsiones vel haemorrhagiam parturientis arte promoueri debebat. Si in peluis angustia alia pars, quam caput se offert, et obstetricans, quando membranae rumpuntur, adest, iubet Cl. Auctor a versione abstinere, et potius caput in situm naturalem dirigere p. 98.

ſuadet, quo illud a ſubſequentibus doloribus comprimatur, ſenſimque anguſtam peluim tranſeat. Capite enim in agripparum partu, in eiuſmodi pelui retento, foetus vita nulla arte ſeruari poteſt, cum capite primum prodeunte, forte adhuc viuus in lucem edi potuiſſet. Nonnunquam, veſica aquarum iam formata, et orificio vteri ſatis dilatato, tamen retro membranas nulla corporis foetus pars tangi poteſt, vti alias ſolet fieri, ruptaque ab obſtetricante veſica, aquisque effluxis, caput ſe primum offert. In hoc caſu vt plurimum foetus iam per aliquod tempus mortuus eſt, atque abdomen eius, ex putredine inflatum, et aqua ſpecifice leuius redditum, magna ſimul aquarum copia praeſente, in fundo vteri natat, nec capitis deſcenſum prius, quam aliqua liquoris amnii pars effluxit, permittit. In haemorrhagia vteri violenta, in qua nulli dolores ad partum adſunt, adplicatio ſtypticorum et linteorum carptorum in vaginam, nonnunquam fluxum ſanguinis per aliquod tempus ſiſtit, verosque tandem ad partum dolores excitat. In hoc etiam caſu ruptura membranarum vtilis eſt, quo vtero poſt aquarum effluxum circa corpus foetus contracto, haemorrhagia quodammodo cohibeatur. Aliquoties Cel. Auctori, dum, orificio vteri nondum ſatis dilatato, foetum pedibus extraheret, infortunium accidit, vt orificii vterini partem dilaceraret. Quod tamen vulnus poſt ſpongiae, aluminis ſolutione imbutae, adplicationem, in exemplis hic additis, fortuna fauente, nullum lethiferum, licet haemorrhagia oriretur, exitum habuit. In omni foetus eductione praeternaturali, quae ob haemorrhagiam fit, abdomen puerperae ab adſtante manu comprimatur, quo vteri contractio adiuuetur, neque puerpera ex vteri inertia pereat. Si in vteri haemorrhagia poſt aquarum effluxum dolores ad partum quieſcunt, et haemorrhagia quodammodo

dammodo ceſſat, conſultius eſt, expectare nouum dolorum acceſſum, viriumque parturientis aliquam reſtaurationem, quam artificioſum partum manu promouere, quod vt plurimum lethalem ſolet habere euentum. Poſt haemorrhagias parturientium corticem Peruuianum Cel. Auctor exhibet, ne febris ex inanitione oriatur, quae plurimas ex iis, quae ſanguinis grauem iacturam fecerunt, vehementer afficere ſolet. Conuulſiones parturientium nonnunquam eodem modo orificium vteri dilatare, vti alias ope verorum ad partum dolorum fit, et hinc non ſemper ſtatim in initio, artificioſo partu opus eſſe, Cel. Auctoris eſt obſeruatio. Non ſemper, vti alii ſcribunt, poſt foetus eductionem conuulſiones ceſſant, ſed nonnunquam per aliquod tempus morboſae eiuſmodi adfectiones durant, ita, vt per tres dies adhuc quaedam aegra ſtupida remanſerit.

Sectione trigeſima quarta partus contra naturam*), in quibus, aquis omnibus effuſis, vterus foetus corpus arctiſſime comprehendebat, recenſentur. Capite in agripparum partu poſt corporis extractionem in ſuperiore peluis apertura retento, forcipem Noſter aliquoties proſpero cum ſucceſſu adplicauit**). Etiam hoc loco in anguſtia peluis verſionem minime commendat, cum non ſolum foetus vix vmquam ſeruari poſſit, ſed et mater ob placentae ſolutionem, quae vt plurimum ſub difficili verſione accidit, et contuſionem partium ineuitabilem, haud raro pereat. p. 163.

Sectione trigeſima quinta partus contra naturam enarrantur, in quibus ad plenariam foetus eductionem p. 241.

*) Partus contra naturam Auctor Cl. eos omnes dicit, in quibus alia pars foetus quam caput primum in lucem prodit.

**) Vide etiam Auctoris Cl. *Tabulas anatomic.* T. XXXV. et *Comment.* loc. cit. p. 223.

nem abſoluendam vncos Cel. Auctor adhibere debuit. Horum maxima pars tantis cum difficultatibus coniuncta, ſaepeque infelici euentu finita erat, vt niſi feliciores caſus alii, ante commemorati, animum legentibus addant, lectio huius libri facile tironem a totius artis obſtetriciae exercitio deterrere poſſit. Vel ipſis prolapſis pedibus, non ſemper verſio ex voto ſuccedit. Nonnunquam enim brachium ſimul prolapſum viam adeo anguſtam reddit, vt corporis extractionem, ex hac cauſſa impoſſibilem factam, pedesque fortius tractos, a trunco ſeparatos, Cel. Auctor viderit. Similis quoque difficultas in eadem partus ſpecie ſaepe ex capite, pedibus vicino, naſcitur, quapropter Cel. Auctor monet, ſemper, pedibus etiam praeſentibus, capitis tamen ſitum primum diſquirendum eſſe, ne ex hac re corpore foetus compreſſo, et in anguſtias aperturae impacto, partus difficilis oriatur. Semel orificium vteri tam craſſum obſeruauit Noſter, vt illud, nec ab Auctore, nec ab aliis accerſitis obſtetricantibus dilatari poſſet, ſed foemina fato ſuo relinquenda eſſet. Idem quoque orificium aliquoties attenuatum quidem, ſimul vero tam rigidum Cel. Auctor inuenit, vt etiam hoc in caſu dilatatio eius, omni adhibita opera, non ſuccederet. Cum vero ex caſibus, ſuperius enarratis, Cel. SMELLIE cognouiſſet, orificii vterini aliquam dilacerationem non ſemper lethalem pro-
p. 269. ducere effectum; bis inciſione partem eius, quae
et 297. non dilatabatur, diuiſit, tuncque partum feliciter ad finem perduxit. Puerperae vero poſt foetus eductionem mortuae ſunt, licet vna ad quartum diem vixerit.

p. 320. *Sectione trigeſima ſexta* de capite in vtero vel in vagina relicto, atque a reliquo corpore ſeparato, at-
p. 334. que *ſectione trigeſima ſeptima* de gemellorum et trigeminorum partu variae hiſtoriae enarrantur.

Praeci-

praecipuum signum, mulierem aliquam duos vel plures foetus in vtero gerere, est ascensus vteri in abdomen, qui longe citius in eiusmodi grauiditate fit, quam alias, si vnus tantum foetus adest, contingere solet. Gemellos vnam tantum placentam habuisse, p. 338.
aliquoties obseruauit, duo quoque ex trigeminis vnam habebant.

Sectione trigesima octaua partus monstrosi describuntur, variaeque ex aliis Auctoribus sumtae obser- p. 351.
uationes hic quoque repetuntur. *Trigesima vero nona sectione* operationes caesareae variae recensen- p. 360.
tur, ex quibus eae omnes, quae primum hic occurrunt, vel in mortuis institutae fuerunt, vel infelicem exitum habuerunt. In foemina prima vice grauida, quae septimo mense ex haemorragia periit, obseruauit Noster, orificium vteri internum in eiusmodi foeminis etiam ab interiore parte difficillime dilatari, faciliusque disrumpi, quam cedere. Hinc monet, in foemina annosiore et fibris rigidis praedita, si ea in prima grauiditate, haemorrhagiis interruptis, veratur, non statim ad artificialem partum confugiendum esse, sed potius expectationem commendat, diaetamque tenuem, vsque dum veri ad partum dolores accedant, quibus orificium facilius, quam operatoris manu cedit. Longe vero facilius haec dilatatio accedit, si debiliores sunt, et antea iam pepererunt, atque haemorrhagia subito accessit et grauis est. In viua foemina Cl. SMITH, chirurgus Edimburgensis p. 374.
ob angustiam peluis operationem caesaream instituit, foemina vero paullo post obiit, licet vix quatuor vel quinque vnciae sanguinis sub operatione effluerent, et vterus valide contraheretur.

Casus, qui ad *sectionem quadragesimam* pertinent, p. 379.
partim dilacerationem perinaei, quae nonnunquam sub partu fit, et rupturam vteri concernunt, partim inflammationem partium genitalium externarum et ipsius

ipſius vteri, quae poſt partum accidunt. Suturae cruentae vſus in dilaceratione perinaei nunquam bene Cel. SMELLIE ſucceſſit. Vaginam ab vtero in partu difficili ſeparatam et ipſum orificium laeſum obſeruauit, aegra tamen ipſa nihilominus ſanabatur. Poſt veram vteri in fundo rupturam vna puerpera adhuc ſex, altera duodecim horas vixit. Placentae violentam extractionem in primo puerperio dolor in dextro abdominis latere ſecutus eſt, nullis remediis cedens, qui tamen ſemper in ſubſequentibus grauiditatibus ſopiebatur, et demum poſt tres vel quatuor a puerperio ſeptimanas redibat.

p. 400. *Sectio quadrageſima prima*, *ſecunda* et *tertia* ad varios morbos puerperarum et diaetam illarum pertinent. Opiatorum vſum poſt partum Cel. Auctor plurimum commendat, nec ſomnum poſt puerperium noxium eſſe putat, niſi ſi violens haemorrhagia praeceſſerit. Interim tamen vel in vteri haemorrhagia, quae ſub partu accidit, in primis in debilioribus, opiata porrigit, et expertus eſt, haemorrhagiam tunc, ſi ſomnus acceſſerit, ſopiri. Puerperam vidit, quae, cum papillae auulſae eſſent, in primo puerperio lactare non poterat. Suctione tamen foetus in altero puerperio nouae papillae formatae ſunt, ita, vt in tribus ſubſequentibus puerperiis adhuc infantes ſuos proprio lacte aleret.

p. 439. *Sectione quadrageſima quarta* de prolapſu vteri, vaginae et inteſtini recti, nec non de vteri inuerſio-
p. 450. ne variae obſeruationes communicantur. In *ſequente* vero de variis morboſis infantum recens natorum adfectionibus diſſeritur: v. c. de luxatione et fractura artuum: de tumoribus ſanguineis in capite: de noxis ex nimis arcta faſciarum adplicatione etc. Abſceſſus, ex tumoribus ſanguineis orti, haud raro lethales ſunt. Vidit quoque Cel Auctor infantem, qui, tumore eiuſmodi inciſo, haemorrhagia periit, licet

cet in aliis inciſio tumorum haud raro optime ſuccedere ſoleat. *Sectione quadrageſima ſexta* de ano infantum praecluſo, de vrethra non perforata, et lingua frenulo firmata diſſeritur. In foetu, quem verſionis ope Noſter extraxerat, ex digitorum immiſſione in os ad capitis ſolutionem abſoluendam, tumor ſatis magnus ſub lingua ortus eſt, qui tamen mox iterum diſcutiebatur. *Quadrageſima ſeptima* p. 469. *ſectione* malae capitis conformationis ex partu difficili (*mould-ſhot head*) et conuulſionum inde ortarum exempla recenſentur. Venaeſectionem in hoc caſu cum fructu inſtituit, aut, ſi ſtatim, poſt foetus ex vtero progreſſum, malam conformationem cognouit, ſanguinis aliquam copiam ex funiculo vmbilicali emiſit, antequam illum ligaret. Reductio capitis in formam naturalem, manu tentata, fere nunquam ei ſucceſſit. Temporis tamen ſucceſſu, cerebro ſenſim expanſo, caput quoque naturalem iterum formam adſumſit. Variae etiam exanthematum ſpecies, quibus neonati nonnunquam afficiuntur, hic deſcribuntur, et methodus ab Auctore Cl. in earum curatione obſeruata additur. Eadem quoque ratione de alui deiectionibus viridibus, quae in infantibus ex acido primarum viarum, non ſubacto, ſaepe obſeruantur, nec non de aphthis *ſectione quadrageſima octaua* diſſeritur; *vltima* vero ad illud *theoriae artis obſtetriciae* caput ſpectat, quo Cel. Auctor de qualitatibus egit, quibus obſtetricantes vtriuſque ſexus inſtructi eſſe debent.

p. 461.

p. 475.

p. 482.

XVIII.

XVIII.

An Eſſay towards an improvement in the cure of thoſe diſeaſes wich are the cauſe of Fever by THOMAS KIRKLAND Surgeon. London by J. Dodsley 1767. 8vo pag. 60.

h. e.

Exercitatio de emendatione curationis morborum, qui cauſſa febrium ſunt. Auctore THOMAS KIRKLAND.

Quae de vſu aeris et aquae frigidae a variis medicis propoſita ſunt, minus abſoluta videntur Noſtro, qui ideo de hoc argumento nunc accuratius diſſerere promittit. Quanquam autem in hoc libello ſparſae tantum annotationes, ex vero doctrinae nexu non declaratae proponuntur, nonnullas tamen, quo praeſentis libelli ratio pateat, breuiter indicare placet.

p. 1. Febrem eſſe vim naturae, qua morboſa materia ex ſanguine expellitur, et ita ſanitas reſtituitur, vbique ferme recepta opinio eſt, ea tamen falſa videtur Cl. Auctori, quoniam in febre motus magis increſcunt, in violenta autem agitatione particulae morboſae per ſe et excretiones non eliminantur, quod quidem in blanda et aequali circulatione melius ſuccedit. Veteres igitur et recentiores medici febrim per frigidam cohibere tentarunt, ex HIPPOCRATIS itaque, CELSI, GALENI, PAULI AEGINETAE, RHASIS, et AVICENNAE libris varia affert teſtimonia, ex quibus patet, poſt febrem, per frigidam conſopitam, ſecretiones materiae morboſae bene ſucceſſiſſe; quam rem etiam obſeruationibus
p. 15. nonnullis recentiorum confirmat. Attendit autem primo ad differentiam inter ventilationem et refrige-

rium

rium aeris, non tantum enim malignis effluuiis discussis, purus redditus aer, sanitati in vniuersum et febrium curationi conuenit, sed vere frigidus eo gradu applicandus est, vt calorem febrilem per attactum supprimat. Monet itaque Cl. Auctor, opinionem de materia cruda per coctionem mutanda, hanc veram medendi methodum impediuisse. Etsi enim GALENUS et LOMMIUS eandem approbarunt, ad aliorum tamen monita de coctione iuuanda nimis attenti, illam neglexerunt.

Vrget ideo, omnem materiam morbi crudam ex sanguine secedere. Materia varioloſa vt cruda ex sanguine separatur, et, in pustulas collecta, in pus coquitur. In crisi per diarrhoeam simili ratione materia cruda secedit, et quanquam humores obstructi non semper in pus mutantur, dissoluti tamen et tenues facti, per vasa capillaria transeunt, neque vere crudi dici possunt. Nec vrina leue, aequale et album sedimentum deponens, quae ab HIPPOCRATE aliisque auctoribus vt signum coctionis absolutae consideratur, hanc rem probare videtur Nostro, quod talis vrina etiam in febribus grauiter vulneratorum, sanis de reliquo hominibus, obseruatur, putat enim, serum, calore agitatum, turbidum reddi et tale sedimentum efficere. Ex quibus aliisque argumentis coctionis theoriam inuertere studet Cl. Auctor, nostro vero iudicio distinctionem inter crisin completam et metastasin non recte expendit. p. 18.

Simili ratione cardiaca medicamenta, quae febrili motus in languore aegri incitare videntur, non febrim ipsam augere, sed minimos neruos stimulare dicit Noster, quo vigor circulationis aequalis sustineatur; vrget enim, febrim esse symptoma, in vasis obstructis et acrimonia humorum, a neruis irritatis oriundum. Omnis itaque curatio febris, aëre frigido admisso, simili que potu et balneis applicatis, absoluitur, p. 27. p. 33.

ſoluitur, non plane tamen omittit eas exceptiones, quando ſudor vehemens vel alia excretio morbum ſoluit, et tunc demum, vbi febris vltra modum exſurgit, frigidam ad febrim plane ſupprimendam commendat, et ex veterum medicorum lectione hanc rem definire poſſe dicit.

p. 46. Sub finem demum varia exempla curationis per frigidam in febre epidemica 1765, in aliis febribus acutis continuis et variolis affert, quae tamen non ita declarata ſunt, vt in argumenti probationem vlterius a nobis indicari queant.

XIX.

IOAN. BAPT. SCHLUGA, Medicinae Doctoris Vindobonenſis, primae lineae cognitionis inſectorum. Cum figuris aeneis. Viennae 1766. Impenſis Ioannis Pauli Kraus. 8. pl. 3½ tab. aen. 2.

Libellus hic breuem introductionem in entomologiam ſiſtit, in qua non ſolum praecipua huius ſcientiae fundamenta, ſed et methodus, a Cl. GEOFFROY in *hiſtoria inſectorum agri Pariſini* *) propoſita, breuiter explicantur. Diſſerit vero Auctor Cl. primum de vocabulis entomologicis et nominibus, quibus variae inſectorum partes inſigniuntur, atque inter eas partem, quam alii entomologi plane neglexiſſe videntur, *omoplatas* ſcilicet, deſcribit. Ita vero vocat *arcus* illos aut radios *a latere thoracis exortos, ipſam alarum inſertionem tegentes, et motum illarum moderantes*, qui in phalaenis adeo conſpicuae ſunt. Ordines ſyſtematis, inſecta *vaginata, ſemivaginata, farinacea, venoſa, bialata* et *nuda* conſtituunt. Reliqua omnia ad Cel. GEOFFROY pertinent. In tabulis

p. 8.

*) Vid. Comment. hor. Vol. XI. pag. 612.

tabulis aeneis adiectis diuersae insectorum partes et imprimis antennarum diuersitates delineantur. Pluribus vero figuris nulla addita est explicatio, ex qua cognosci posset, ad quod genus illae referendae sint.

XX.

England illustrated: or a compendium of the natural history, geography, topography, and antiquities ecclesiastical and ciuil, of England and Wales; with maps of the seueral counties, and engravings of many remains of antiquity, remarkable buildings, and principal towns. In two volumes. London printed for R. and I. Dodsley. 1764. in quarto. Vol. I. 2 Alph. 9 plag. tab. aen. 14. mappae geogr. 23. Vol. II. 2 Alph. 16 pl. tab. aen. 15. mappae 31.

i. e.

Anglia illustrata, siue epitome historiae naturalis, geographiae, topographiae, atque antiquitatum ecclesiasticarum et ciuilium Angliae et Wallesiae; cum mappis geographicis singulorum comitatuum, et figuris antiquarum rerum ac monumentorum plurium, ex vetustissimis temporibus reliquorum, aedificiorum porro vrbiumque primariarum.

Non alio consilio huius libri in commentariis nostris mentionem facere constituimus, nisi vt doceamus lectores, haud reperiri in eo, quod quaerere ibi possit, qui titulum operis viderit. Scilicet de historia naturali, quae maxime ad institutum nostrum pertinere videbatur, parum aut nihil ibi inueni-

mus. Quemadmodum enim in reliquis huius operis partibus factum esse intelleximus, vt collecta omnia viderentur ex aliis; ita etiam in capite de historia naturali itidem alios scriptores secutus est Auctor, in quibus tamen plerumque multo melius latiusque tractatam eandem rem esse, qui legerit istos, facile animaduertet: v. c. in PLOT, LEIGH, BORLASE aliorumque, qui de historia naturali singularum prouinciarum egerunt, scriptis. De multis prouinciis plane nihil dici obseruauimus, quod naturae scientiam illustrare possit; quum nihil Auctor saepius, quod diceret, repererit, nisi hoc, vixisse ibi virum aliquem aetate valde grauem, flammis deletam esse vrbem hanc vel illam, et quae sunt eius generis alia, quae minime ad historiam naturalem pertinent, paucisque tantum verbis indicantur. Porro ne vnam quidem figuram, aere incisam, vidimus in isto libro, quae ad illustrandam naturae historiam Angliae vel Wallisiae faceret. Non montis vllius vel antri delineatio hic reperitur; sed quae expressa passim figuris sunt, aut arcem quandam, aut alia antiquorum monumentorum ac reliquiarum genera repraesentant. Quare cum nullius exspectationi hoc opere vel similibus possit satisfieri, tanto magis putamus optaturos nobiscum esse lectores, vt manum aliquando admoueret isti rei ex doctoribus Anglis aliquis, scientia physices vniuersae et trium regnorum, quantum satis est, imbutus, colligatque non modo ex operibus pretiosioribus, quae tamen et ipsa saepe satis manca sunt, (ex iis scilicet, quibus historiam naturalem diuersarum Angliae regionum descriptam habemus) atque ex Transactionibus philosophicis aliisque scriptis, huc pertinentibus, quae in iis reperiuntur ad hanc rem facientia; sed suis quoque obseruationibus haec omnia emendet et augeat, nobisque hoc modo physicam istius regni descriptionem

nem tradat, quam tot rerum praeſtantiſſimarum, quae ibidem reperitur copia, non poſſet non valde inſignem reddere et vtiliſſimam. Deſiderantur enim adhuc in ipſa plantarum, in Anglia reperiundarum, hiſtoria permulta. Ad regnum animale quod ſpectat, meliores progreſſus feciſſe videtur aetas noſtra PENNANTI aliorumque laboribus. Sed minime omnium abſoluta eſt doctrina de mineralibus iſtarum terrarum. Plurimi enim eorum, qui de hac re ſcripſerunt, nihil, niſi nudos lapides vel mineras commemorarunt, neutiquam vero, vti fieri debebat ab eo, qui mineralogiae veram ac iuſtam vult demonſtrare ſcientiam ipſam, ſitum foſſilium in terra ſimiliaque accurate examinarunt. Et quae tandem de fodinis Angliae ſcimus? aut, vt verius dicam, qualis potius inter exteros et incolas huius rei cognitio eſſe poteſt? cum ii, qui de iſtis ſcripſerint, plerumque aliarum potius, quam huius rei doctrina inſtructi fuerint.

XXI.

Noua phyſico-medica.

Regiam Chirurgorum Academiam *Pariſinam* aliquoties iam quaeſtiones de contrafiſſuris oſſium capitis formaſſe et Cl. LOUIS, qui ab epiſtolis eſt Academiae, ſingularem libellum, in quo optima quaeque, hanc rem illuſtrantia, ab Eo ſunt collecta, vulgaſſe, in praecedentibus *) commemorauimus. Iam vero optat ea, vt declarentur *effectus contrafiſſurarum, quae fiunt praeter caput et in diuerſis corporis humani partibus, atque iis medendi ſubſidia (expoſer les Effets des Contre-coups dans les differentes parties du Corps autre, que la tête et les moyens d'y remedier.)*

*) Comment. noſtr. Vol. XIII. p. 349 et 689.

Nec minus *Eadem* cupit, vt *disquirantur incommoda, quae oriuntur ex abusu vnguentorum et emplastrorum et quaenam emendatio vlcerum tractandorum in praxi chirurgica possit recipi.* (*Exposer les inconvéniens, qui résultent de l'abus des onguens et emplâters, et de quelle réforme la pratique vulgaire est susceptible à cet égard dans le traitement des vlceres.* Praemium, quod exspectare licet et quod ex annuis legati b. DE LA PEYRONIE reditibus colligitur, est moneta aurea ducentarum pondo Gallicarum. Caeterum commentarii, latina vel gallica lingua conscribendi, et ad Cl. LOUIS ante finem huius 1769 anni, ita, vt alio tempore monuimus, mittendi sunt; quo tempore quinque etiam monetae aureae, quaelibet centum thalerorum Gallicorum, quinque chirurgis, academicis aeque ac aliis, in Gallia versantibus, qui mittent hoc 1769 anno vnum commentarium seu tres obseruationes notatu dignas, distribuentur.

Regia Societas *Parisiensis*, quae ab agricultura nomen habet, cum in votis habuerit, vt *describeretur plenaria historia tum omnium morborum epidemicorum contagiosorumque, quibus bestiae et animalia omnis generis solent corripi et qui in scriptoribus non solum recentioris aeui, sed etiam antiquissimorum temporum descripti reperiuntur, cum caussarum, quae illos producunt, et denique remediorum, quae in illis debellandis efficacissima fuerint deprehensa* *), omnes autem, quos accepit societas, commentarii, non omni ex parte eius responderint votis, idem problema denuo anno 1770 proposuit rogauitque, vt omnia, quae oeconomiae et medicae quoque artis scriptores, nec non historici et poëtae hac de re habeant, accurate attendantur ad condendam epocham et historiam morborum epidemicorum contagiosorumque diuersorum,

*) Comment. nostr. Vol. XIII. p. 159.

rum, qui ab initio vſque ad noſtra tempora graſſarunt; ad eruenda porro ſymptomata, quae iis ſunt propria; ad detegendas cauſſas, quas ſequuntur hi morbi, et tandem ad indicanda contra eorum vim remedia.

